HISTORIA CONCILIORUM GENERALIUM.

LIBRI QUARTI, PARS ALTERA.

AUCTORE

Magiſtro EDMUNDO RICHERIO,
Doctore ac Socio Sorbonico.



COLONIÆ;
Apud BERNARDUM HETSINGH.
cIɔ Iɔc LXXXIII.

HISTORIA

Conciliorum generalium,

LIBER QUARTUS,

PARS ALTERA.

CAPUT IV.

I. *Historia Lateranensis Concilii, & de Ægidii Viterbinensis perpolita & Libera Oratione in Concilii exorsu: qua quidem acta militaria Julii oratoris laudando vehementer vituperat.*

II. *Secunda Sessione exhibetur Mandatum Regis Hispaniarum cum Oratione Thomæ de Vio Generalis Dominicanorum, quæ Oratio septem capit Argumenta dogmaticè examinata.*

III. *Sessione quarta refertur Edictum quod tribuitur Ludovico* XI. *Galliarum Regi, pro abrogatione Pragmaticæ: atque insuper Dies Peremptoria dicitur Regi Galliæ & ejusdem subditis, ut se sistant Romæ; & Pragmaticam abrogari videant.*

IV. *Dum quinta Sessio haberetur Julius vitam cum morte commutavit, priusque Bullam contra eos evulgavit, qui ambitu & Simoniâ viam sibi faciunt ad Pontificatum.*

V. *Sexta Sessio celebratur sub Leone* X. *continetque salvum conductum factum Nationi Gallicanæ, ut se ad Synodum Lateranensem, conferret, exceptis Schismaticis, id est, qui Pisano Concilio adhærerant.*

VI. *Septima Sessio prorogat Vadimonium dictum Gallis in facto abrogationis Pragmaticæ.*

VII. *Octava Sessione, Ludovicus* XII. *Franciæ Rex mortuo Julio, atque una odio cum simultatibus quæ inter eos intercesserant extinctis, Pisanæ Synodo renunciat, & Lateranensi adhæret &c.*

VIII. *Nona Sessione Galliæ Prælati Pisano etiam renunciant Concilio, & Lateranensi adhærent, petuntque absolutionem ad Cautelam.*

IX. *Decima Sessione eriguntur Montes Pietatis, & dies Peremptoria dicitur Gallis, ut se sistant Romæ, & causam dicant cur Pragmatica abrogari non debeat.*

X. *Franciscus* I. *Galliæ Rex, parta memorabili Victoria Marignensi, hortatu & consiliis Leonis* X. *Ludovicæ Sabaudiæ Matris & Cancellarii à Prato, Sanctionem Pragmaticam abrogat.*

XI. *Leo* X. *Sessione* XI. *Concilii Lateranensis, potestatem facit Regi Francisco irrogandi censuras Ecclesiasticas, & procedendi omni via juris & facti contra renitentes abrogationi Pragmaticæ Sanctionis: & de quatuor Episcopis generosis qui dixerunt hac tantum conditione sibi concordata placere, modo acceptarentur à Gallis.*

XII. *Argumenta Sessionis* XI. *Synodi Lateranensis, quibus adversarii probant Papam potestatem habere super omnia Concilia; & Sanctionem Pragmaticam jure abrogatam, analyticè examinantur.*

XIII. *Summa eorum quæ gesta sunt in Parlamento pro & contra publicationem Concordatorum & abrogationem Pragmaticæ.*

XIV. *Appellatio Universitatis Parisiensis de Pragmaticæ Sanctionis abrogatione.*

N Prooemio Synodi Lateranensis enarratur Julium II. indixisse ejusdem Concilii initium in XIX Aprilis 1512. illudque prorogasse in Calendas Maji, deinde in tertium diem Maji propter Ravennatense prœlium; in quo Pontificis atque Hispanorum exercitus die sancto Paschæ à Gallis profligatus est. Præterea ibidem Julius declarat se etiam cum esset in minoribus, id est, antequam creatus esset Pon-

Pontifex ſemper de celebranda Synodo cogitaſſe: ſed hoc ſuum propoſitum poſt aſſumptionem ſuam ad Pontificatum retardatum atque impeditum propter Bella quæ inter Principes Chriſtianos fervebant, quorum pacandorum & Pacis deſiderio tenebatur. Deinde ſubjicit Hæreſi repente ſuborta, (ſic enim Piſanum Concilium nominat) animum adjeciſſe ad Concilii celebrationem ut illam Hæreſim facilius exſtingueret. Quocirca Deo bene propitio ſperare ſe dictitat, ut omnes ſentes ac vepres ex agro Domini penitus exſtirpentur, depravati mores emendentur, Pax inter Principes Chriſtianos concilietur, expeditiones contra fidei hoſtes inſtruantur. Quocirca omnes exhortantur ut illum præ oculis habeant qui eſt Via, Veritas & Vita, libere conſulant, & Deo quam hominibus magis placere ſtudeant. Quod ut effectum ſit Lector cognoſcet ex actis hujus Synodi, & veriſſime dictum à Guichardino, Julium in Synodo Lateranenſi omnino alienum habuiſſe animum ab iis quæ in ſpeciem fiebant: & præter Bellica ſtudia nihil quicquam aliud cogitaſſe.

Dehinc ſequitur Oratio Ægidii Viterbienſis Generalis ordinis Auguſtinenſium admodum elegans, polita, & liberior quidem quam Julius & illa tempora ferrent: quoniam per Schematiſmum acriter & liberè animum militarem & geſta Bellica Julii reprehendit: ne-

que in tota hac Synodo quicquam Synodica libertate dignius occurrit hac memorabili oratione: in qua primo mirum in modum dignitatem, necessitatem, & libertatem Conciliorum celebrat: aitque *Ecclesiam absque cura Synodorum probe agere non posse: idque ipsi Ecclesiæ usui esse. Sicut pratis imbrem, hortulis rivos aquarum, agris culturam, putationem vineis, alimenta hominibus, adeo ut quoties à Synodis cessatum, toties Ecclesiam sponsam à sponso Christo derelictam, & sponsam jacere sicut hyeme frondes arborum viderimus. Addit nec absque Synodis fidem stare Catholicam: continuoque sine illis salvos nos esse non posse: idemque de aliis virtutibus Temperantia, Iustitia, Sapientia, &c. tenendum. Cum enim omnes à natura desidiam pro labore, otium pro negotio, voluptatem pro solicitudine expectamus, quam primum animadvertimus futurum quandoque ut Census habeatur, ut morum & vitæ nostræ ratio exploretur, quod fit in Synodis, ut improbi deprehendantur, judicentur, plectantur: Contra probi alliciantur, foveantur, attollantur: Incredibiles stimuli appetendæ virtutis injiciantur, ut homines colligant sese, meliora deliberent, vitia relinquant, virtutem capessant, nihilque non honestum & magnificum moliantur. Subtexit hanc eximiam virtutum omnium Officinam à Constantini Magni temporibus reservatam tot clarissima Ecclesiæ lumina nobis peperisse Athanasios, Basilios, Nazianzenos, Chrysostomos, Damascenos, Hieronymos, Ambrosios Augustinos, Gre-*

gorios

gorios disciplinæ Synodorum innutritos,&c. Quibus verbis, vir ille optimus mirum in modum Sessionem XXXIX. *Synodi Constantiensis de frequentandis Conciliis Generalibus Curiæ Romanæ usque adeo formidolosam illustrat atque explicat. Postea transit ad gesta militaria Iulii quæ primum in speciem laudat, ut ea securius acriusque labefactet: siquidem conversa Oratione ad Iulium, Dedit tibi Deus, inquit, facultatem quantam nulli majorum tuorum unquam, ut domi Templum omnium quæ usquam visa sunt magnificentissimum, excitares: militiæ, (quod nemo ante hac potuit) Ecclesiæ arma magnis Regibus metuenda faceres: ut Imperium propagares, ut Ariminum, Faventiam, Ravennam, & alia permulta recuperares. Quæ etsi eripere tibi hostis potest: quin tamen primus Pontificum hæc omnia gesseris efficere non potest. Magnorum enim Principum virtus, non ex casu, aut ex eventu, sed ex Consiliis Actionibusque censenda est. Nunc tuis rebus gestis hæc duo deerant, ut Synodum convocares, & communi Christianorum hosti Bellum indiceres & quæ initio semper cogitasti, semper spopondisti, decrevisti, jam tuæ præstes, tum pietati, tum fidei,&c. ille Deus petit mandatque, ut duo illa animo volutes, & quemadmodum Propheta jubet, destruas, evellas, eruas errores, luxum, vitia: Instituas, ædifices, plantes, moderationem, virtutem, sanctimoniam: ad hæc vero agenda, cum alia permulta, tum præcipue amissus exercitus excitare nos debet: quod equidem puto divina providentia factum: quo ar-*

ism

mis Ecclesiæ alienis freti non crederemus : ed ad nostra redeuntes victores evaderemus. Nostra autem arma sunt Pietas, Religio, Probitas, Supplicationes, vota, Lorica fidei, atque arma lucis, ut Apostoli verbis utar: ad quæ si Synodi opera redibimus, ut armis non nostris inferiores aliquo hoste fuimus, ita nostris erimus omni hoste superiores. Veniat quæso in mentem Mosis Bellum XVII. *quod adversus Amalech Regem gessit: videbis populum Deo charum gladiis fidentem vinci semper: contra semper vincere precibus supplicantem. Dum Moses manus attollebat, Dei exercitus vincebat, dum manus remittebat exercitus inclinabat. Quibus verbis monet Deus utramque Ecclesiam & Mosis & Christi militiæ armis vinci: Pietatis autem studio vincere: superaritelis decertando, sacra faciendo superare. Freta initio suis armis Ecclesia. Africam, Europam, Asiam occupavit non Vi, non Bello, non Ferro, sed Religionis actionibus & sanctitatis opinione, per universum orbem Christiana signa circumtulit: At ubi sponsa quæ tunc undique vocabatur, accersebatur, expectabatur in vestitu deaurato, aureum paludamentum ardentis Spiritus ferreis Ajacis insani armis commutavit. Imperium duodecim ducum partem sanguine amisit, Asiam & Hierusalem perdidit, Africam & Ægyptum relinquere coacta est: Europa cum Bizantino Imperio sibi eripi partem vidit: Et nos vidimus cum Religio vota ferro commutavit, toto fere orbe pulsam, ejectam, explosam Ecclesiam, aucto in immensum Mahomete. Quod nisi ferro relicto,*

rur-

rursum in pietatis sinum ad aras, ad Dei pulvinaria redeamus: crescet in dies magis, subiget Imperio omnia, orbem nniversum nostra impietatis ultor impiissimus occupabit; video video, nisi vel hoc Concilio, vel alia ratione nostris moribus modum imponamus, nisi nostram humanarum cupiditatem malorum omnium fontem cedere divinarum amori compellamus, actum de pietate, actum esse de iis ipsis opibus, quas Patres divino cultu aucto peperire, nos contra neglecto amissuri sumus. Quæ opes ita ab extrema paupertie pervenire ad summum, ut non ita multo post interituræ esse videantur: ac nisi receptui canamus, nisi rationibus nostris consulamus, infula illa ditissima cujus ad ornanda Sacerdotis tempora usus fuit, vix adoperienda inveniatur. Audite divinas voces undique sonantes, undique Synodum, Pacem, Sanctam illam expeditionem efflagitantes. Quando enim vita nostra mollior? Quando ambitio petulantior? Quando audacia adversus pietatem loquendi, disputandi, aut frequentior aut securior fuit? Quando in Populis rerum sacrarum, quando Sacramentorum, quando & clavium & sanctorum Præceptorum non modo negligentia, sed & contemptus major? &c. Tum Epanorthosi ad Julium. *Hæc igitur mala, quæ hodie fieri cernimus, ait, voces Dei sunt monentis ac præcipientis ut Synodum habeas, ut Ecclesiam emendes, ut utriusque Hominis Bellum tollas, ut sponsæ tuæ undique lacessitæ Pacem restituas, ut gladio avertas,* Urbi *&* *Italiæ jugulis imminentes: ut nostram frænes vivendi licen-*

licentiam, Ecclesiæ viscera majoribus vulneribus ferientem. Non enim multi refert quantum agri possideamus, sed quam justi, quam pii, quam divinarum rerum studiosi simus, &c. Audis Petre, auditis Augustissima semper capita, tutela ac præsidium Urbis Romæ, in quem malorum cumulum Ecclesia vestro fundata sanguine deducta sit? Videtis acies utrinque profligatas? Videtis cædes? Videtis clades? Videtis campos occisorum acervis opertos? Videtis terram hoc Anno plus cruoris hausisse quam pluviæ, minus imbrium bibisse quam sanguinis? Videtis tantum occubuisse Christiani roboris, quantum fuerat ad fidei hostem debellandum satis? Nihil nobis nisi exitium, nihil nisi interitum superesse? Ferte opem, juvare, succurrite, &c.

Cætera prætermitto, ut Lector aliquid habeat quod faciat: neque enim eum pigebit unquam tam luculentam perlegisse Orationem.

Sessio prima Synodi Lateranensis celebratur die X. Maji 1512. continetque Bullam Julii super indictione hujus Concilii, datum XV. Calend. Augusti Anno 1511. ut jam supra monui. Qua in Bulla Cardinales qui Roma decesserant & Pisanam Synodum convocarant, comparantur Lucifero, Dathan, Chore, & Abiron, Dioscoro, Acacio, atque aliis Schismaticis aut Hæreticis. Præterea Julius causas & rationes quibus prædicti Cardinales impulsi sunt ad Pisanum Concilium indicendum examinat: Cujusmodi sunt

Ca-

Caput frequens *Sessione* XXXIX. *Constantiensi*: Item votum atque Sacramentum quod ante suam electionem ad Pontificatum solenniter cum aliis Cardinalibus ediderat & alia ejusmodi depellere conatur: quæ quidem Ca, ite præcedenti enucleata sunt, partim in explicanda Historia Synodi Pisanæ. Porro mirabile estOnuphrium Panvinium &Ciaconium qui vitam Julii conscripserunt de industria obliterasse hoc Julii II. Sacramentum: quod proculdubio magnum est peccatum in Historiæ scriptoribus: cum rem tam notam & omnibus perspectam ignorare non potuerint. Idque arguit, illos potius ad Curiæ Romanæ gratiam quam ad solidam veritatem scripsisse: præsertim Ciaconium: quem minime puduit contra veritatem eorum quæ Guichardinus testis oculatus narraverat multa fingere & cumminisci: quo Julium excusaret atque omnem culpam in Ludovicum XII. piissimum & innocentissimum Principem transfunderet. Quotusquisque ferat contra omnem Historiæ fidem memorare Julium studiosum pacis Conciliandæ, sed Ludovicum noluisse ad studia pacis animum adjicere: quodque à scriptoris Ecclesiastici munere plane abhorret, sigillatim pugnam Ravennatensem eo tantum consilio describendam sumpsisse videtur, ut Gallorum & nominatim Ducis Nemorensis laudi & gloriæ detraheret: quem ait *ab agmine hostium circumven-*

tum, se Boissium Hispaniæque Reginæ Fratrem clamitasse & vitam deprecatum fuisse. Certe Historiæ nostræ testantur Lautrecum Fratruelem Ducis Nemorii cum hunc unum & solum equo prostrato & confosso peditum animose decertare contra hostes innumeros, atque in maximo vitæ discrimine versari cerneret, multoties quidem exclamasse atque ita Hispanis dixisse, *Ne illum occidatis, Frater est Reginæ vestræ.* Itaque Ciaconius id Duci Nemorosio, quod est Lautreco referendum attribuit. Sed hæc præter oleas, ut dicitur; quæ à me commemorantur ut omnes cognoscant quantum insit fidei Ciaconio : cui toto suo in opere hoc præsertim videtur propositum, ut absolutam Curiæ Romanæ Monarchiam fulciat : & probet, Romanos Pontifices plane esse infallibiles; adeo ut eis per omnia & in omnibus obtemperandum, nec cuiquam fas sit illis dicere cur ita facis? Quod certe non modo falsum, verumetiam Legi Euangelicæ penitus contrarium atque erroneum est.

II. Secunda Sessio reseratur die VII. Maji, nihilque habet aliud notabilius præter Regis Hispaniæ literas quibus Synodo Lateranensi adhæret : & Thomæ Cajetani Generalis Dominicanorum Orationem : qui pro Argumento hunc locum Apocalypseos exhibet : *Vidi Civitatem sanctam Hierusalem novam descendentem de Cœlo.* ac primum ostendit *verba*

ba hæc nullomodo Pisanæ Synodo quadrare posse: Cum unius tantum sit Gentis & Nationis, vel potius dimidiatæ Nationis, imo nullius Gentis: non enim sancta aut legitima est, quando à Sanctitatis candore recessit ut ad sordes errorum accederet: eoque tanto plus accedit quanto magis & Petrum Ecclesiæ, & Papam Concilio, & summum, verum ac certum Domini nostri Vicarium suo Conciliabulo subjicere, & ita natura ipsius ac rationis ordinem pervertere, & Filios Patri & membra Capiti, & servum Domino & militem Duci, & Pastori gregem præficere conatur. Insuper dicit novam Hierusalem illi Ecclesiæ nequaquam convenire: propterea quod nec Pacem habeat nec ordinis tranquillitatem: quem ordinem confundere & subvertere nititur: ut pote quæ contra Romanam Ecclesiam togata armataque Bella commovit. Hæc itaque nunc Pisana novitas Constantiæ tunc ortum habuit & evanuit: Basileæ repullulavit & explosa est: atque his etiam temporibus si vos viri eritis, interibit: quemadmodum sub Eugenio IV. *summo maximæ hujus Sedis Pontifice repressa est: neque enim de Cælo descendit atque ob id diuturna non est*: Deinde per Apostrophen Julium velut segnem atque desidem sic inflammat: *Atqui ut in primis ipsius Dei Potentiam, Perfectionem, Sapientiam, imiteris, accingere Pater S. gladio tuo, tuo inquam accingere, binos enim habes, unum tibi reliquisque hujus Mundi Principibus communem: alterum tibi proprium: atque ita tuum, ut illum alius nemo nisi à te habere possit. Hoc itaque Gladio tuo,*

qui Ecclesiasticæ potestatis est, accingere potentissime, & accingere super femur tuum, id est, super universas humani generis potestates: cumque accinctus fueris tum intende contra Errores, contra Hæreses, contra Dissensiones, &c. Nec intende solum, sed etiam procede & regna. Procede in primis & prospere; procede Gentes quæ Bella volunt dissipando, tam regna Sacerdos & Rex quæ pacis sunt cogitando, inquirendo, persequendo, &c.

Verum in hac Cajetani oratione septem potissimum observatione digna se offerunt. Primum, quod Pisanum Concilium unius esse nationis dictitat, non videt posse in Synodum Lateranensem retorqueri: quæ Julio armato habebatur Romæ, in qua vix alium quam Aulicum Episcopum reperias: Aulicos Episcopos voco qui ordinarie Curiam Romanam sequebantur. Unde facile fuit Leoni qui Julio successit, Lateranense Concilium ab Anno 1512, in Annum 1516. continuare cum istos Aulicos ad manum haberet.

Secundo cum perhibet, idem omnino esse Petrum Ecclesiæ & Papam Concilio subjicere, quam Patrem Filio, caput membris, dominum servo, militem duci, & ovibus Pastorem: Certe fingit Petrum & Papam esse internum atque essentiale non ministeriale caput Ecclesiæ: quasi eadem esset ratio Petri & Christi, Oeconomi & Domini. Profecto Papa qui est Pars, & membrum Ecclesiæ, ejusque externum, Symbolicum, & ministeriale

ſteriale Caput, neceſſario ſubjicitur Eccleſiæ &Generali Concilio Eccleſiam repræſentanti ſicut Pars toti, Inſtrumentum Artifici, oculus homini, & medium fini ſuo. Quam ob cauſam tenetur ab Eccleſia remiſſionem peccatorum ſuorum more aliorum hominum petere, huncque Articulum fidei quotidie celebrare : *Credo Sanctam Eccleſiam Catholicam Sanctorum Communionem, remiſſionem peccatorum*; quod eſt identidem inculcandum : alias docui, hæc & ſimilia argumenta, corpus ſine Capite, palmes ſine ſtipite, rivus ſine fonte, radius ſine ſole ſubſiſtere nullomodo poteſt, abſolute quidem & ſimpliciter vera eſſe de Chriſto : de Petro autem & Pontifice Analogice tantum & ſecundum quid : ratio eſt, quoniam Papa inter cauſas eſſentiales Eccleſiæ niſi tanquam miniſter & Inſtrumentum, non ut cauſa efficiens gratiæ referri non poteſt.

Tertio, falſum eſt Patres Piſanos bellum contra Eccleſiam Romanam excitiviſſe : cum Ludovicus XII. nunquam armis uſus ſit ut laceſſet aut offenderet, ſed ut ſe & ſuos tueretur ac Piſanum Concilium ab armis Julii protegeret : Hic obſervabit Lector, id ſolenne ſemper eſſe Italis Scriptoribus ut Curiæ Romanæ artes, ſub nomine & Perſona Eccleſiæ involvant ac venditent : quamquam tamen longe aliud ſitCuriæ & Eccleſiæ nomine adverſari : quia ut docet Joannes Major Cap.

 XVIII.

XVIII. Commentariorum in Matthæum, *ſtat aliquem Papæ adverſari & tamen eſſe in Eccleſia, & in ſtatu ſalutis.*

Quarto, quo ſpiritu Cajetanus ducatur aperte oſtendit, aſſerens Piſanam novitatem ortum habuiſſe Conſtantiæ, & repullulaſſe Baſileæ atque ab Eugenio repreſſam eſſe, &c. quoniam quæſtio Juris Conſtantiæ & Baſileæ accuratiſſime tractata & conſtituta, tandemque ab Eugenio via facti atque violentiis & non aliter oppreſſa eſt. Idque ipſum Cajetanus æmulandum proponit Julio: quod maxime alienum eſt ab Officio Paſtorali & manſuetudine Legis gratiæ.

Quinto, quod venditat Papam geminum habere Gladium Spiritualem & Temporalem ſcilicet, loquitur quidem ad mentem Bonifacii VIII. Extravagante UNAM SANCTAM, non ad normam Euangelii, quæ docet, poteſtatem Eccleſiaſticam pure Miniſterialem Spiritualem eſſe, vacuam omni dominatu, & poteſtate cogendi abſolute quod imperat per vim externam, ut alias demonſtrabitur.

Sexto, falſum eſt pariter omnes Epiſcopos Gladium habere Spiritualem à Papa: cum Sacra Scriptura doceat, Claves aut poteſtatem Juriſdictionis datam in commune omnibus Apoſtolis, quibus Epiſcopi ſucceſſerunt. Bellarminus lib. quarto de Romano Pontifice, Cap. XXIII, explicans Locum

D.

D. Cypriani relatum in Decreta, Can. *Loquitur* XXIV. *quæstione* I. *Vides*, ait, *idem dari Apostolis per illa verba Joanis* XX. *Ego mitto vos : quod Petro fuerat promissum per illud, Tibi dabo claves, Matthæi* XVI. *Constat autem per illa, tibi dabo claves, & per illud, pasce oves, intelligi Jurisdictionem plenissimam etiam exteriorem. Quo modo autem hæc non impediant Petri Primatum alibi satis ostendimus.* Hæc Bellarminus.

Septimo, dum Julium excitat ad dissipandas & perdendas gentes quæ bella volunt: Classicum videtur personare ad illum magis ac magis studiis bellicis quibus deperibat inflammandum : quod certe parum congruit Viro Religioso & Theologiæ Professori : potius quidem Ægidii Viterbiensis imitatione debebat Cajetanus Papam inducere ut pacem daret Christianis & Sanguini Christiano parceret.

Sessione tertia habita III. Decembris 1512. Literæ Maximiliani Cæsaris referuntur quibus per Gurcensem Episcopum Procuratorem suum Synodo Pisanæ & Turonensi renunciat, & Concilio Lateranensi adhæret: Hoc autem Guichardinus factum à Maximiliano, narrat, spe quarumdam urbium Italiæ recuperandarum. Insuper eadem Sessione totum Franciæ Regnum Ducatu Britanniæ excepto, subjicitur Interdicto, & Nundinas Lugdunenses Julius transfert in

Civitatem Gebennensem tertio Nonas Decembris Anno 1512. Inter alia hoc memorabile occurrit quod Julius Nundinas Lugdunenses Gebennam transportet: quasi ei liceret se immiscere Temporalibus: quæ egregia sunt Curiæ Romanæ non Ecclesiæ Instituta: Unde Cajetanus paulo ante utrumque Gladium Julio tanquam Sacerdoti & Regi Temporali arrogavit.

III. Sessione quarta X. Decembris 1512. primo mandatum Rei publicæ Venetæ pro Lateranensis Synodi Celebratione occurrit.

Secundo, Edictum Ludovici XI. Regis Franciæ, pro abrogatione Pragmaticæ tempore Pii II. promulgatum iteratur: de quo vide quæ supra Cap. I. hujus Libri numero VIII. notavimus.

Tertio Julius edit monitorium contra pragmaticam ejusque assertores & fautores: id est, adversus Regem & Prælatos Galliæ: quos peremptorie citat in XIV. Calendarum Martii, ut antiquari & cassari videam Pragmaticam velut corruptelam abusivam & ruinam dignitatis atque unitatis Ecclesiæ Romanæ, factamque à non habentibus potestatem. Quæ Citatio Sessione quinta XIV. Calendas Februarii iteratur. Porro de hujuscemodi gestis in Synodo Lateranensi, Triumviri Regii Parlamenti Parisiensis statim atque illis innotuerunt, ad Concilium provocarunt, ut proprio loco declarabitur.

IV.

IV. Quinta Sessio celebratur XVI. Februar. 1513. absente Julio propter adversam valetudinem: continetque bullam de non committenda pravitate Simoniaca in Electione Summorum Pontificum: quod tanto est mirabilius, quod rumor esset illum largitionibus sibi viam ad Pontificatum munivisse, auctore Guichardino lib. sexto. At quicquid sit, laudanda maxime pœnitentia est in melius. Cæterum die Lunæ XXI. Februarii Julius vitam cum morte commutavit: & in ejus locum Joannes de Medicis, qui Leo X. vocari voluit, die Veneris IV. Martii ejusdem, sex tantum & triginta annis natus ad Cathedram B. Petri evehitur.

V. Sexta Sessio habetur sub Leone X. die Veneris XI. Martii, continetque Mandatum Florentinæ Reipublicæ quo Florentini declarant se Lateranensi Concilio adhærere: necnon etiam Salvum conductum pro natione Gallicana, ut se ad Concilium conferat exceptis Schismaticis, & aliis qui Jure communi aut alia speciali causa impediuntur quo minus illuc accedant.

VI. Septima Sessio peragitur die XVII. Junii 1513. Exhibet vero Regis Poloniæ & quorundam aliorum Principum mandata quibus declarant se hærere Lateranensi Synodo: Verumtamen nullos illuc miserunt Prælatos: quare hæc Synodus ex solis Curiæ Romanæ asseclis conflata est, ut jam superius observavi.

In

In hac eadem Sessione vadimonium Gallis indictum in Causa Pragmaticæ Sanctionis prorogatur in Sessionem proxime agitandam post Calendas Novembris. Deinde Sessio octava indicitur in diem XVI. ante Calendas Decembris.

VII. Sessio VIII. habetur XIX. Decemb. 1513. In qua primo editur mandatum Ludovici XII. Franciæ Regis cum Procuratione facta Cardinali Sanctæ Severinæ, Claudio Sissillio Massiliensi Episcopo, & Ludovico de Soleriis Oratori ejusdem Regis ad Pisanum Concilium ejurandum. Enimvero Rex desiderio recuperandi Ducatus Mediolanensis atque alias suas Italiæ Dynastias (mortuo Julio II. una cum odio quo Julius Ludovicum prosequebatur) Leonis X. amicitiam sibi conciliare tentabat: Itaque memoratis suis Procuratoribus hanc demandat Provinciam, ut protestentur, Ludovicum XII. nunquam Synodo Pisanæ adhæsisse ut ab Ecclesiâ Romana & SS. Apostolica decessionem faceret: sed duntaxat, quo se adversus Julii injurias & violentiam defenderet. Itaque causa omnis odii & simultatum cum Julii morte consepultis, *libere, pure, & simpliciter Pisano Concilio renunciat, & Sacrosanctæ Synodo Lateranensi tanquam veræ, unicæ & legitime adhæret; polliceturque se illuc quosdam Galliæ Prælatos missurum.* Qua in Declaratione Regis Franciæ, obiter notandum, aliud esse SS. Apostolicæ,

& personæ privatæ Pontificis aut Curiæ Romanæ adversari : quoniam aliud est Papa, & aliud sedes Apostolica, item aliud Ecclesia & aliud Curia Romana : ut docent Canonistæ *Cap. Gratiose. de rescriptis. in sexto. Nam Sedes errare non potest. XXIV. quæst. I. Can. Quodcunque, in Glossa. Can. si Papa XL. distinct. & XIX. Can. Anastasius: notaturque in Glossa XXIV. quæst. I. Can. A recta.*

Secundo, hac eadem Sessione, iidem Procuratores Regis Christianissimi nomine sui Magistri & totius Gallicanæ Ecclesiæ vadimonium Gallis indictum in facto Pragmaticæ diffundi & prorogari flagitant : quoad Ecclesia Gallicana posset debite congregari & mittere Romam, ne indicta causa damnaretur. Cujus suæ postulationis sibi fieri & dari Instrumentum tempore & loco profuturum & valiturum petunt.

Tertio, D. Marius Procurator Fiscalis Concilii Lateranensis expostulationem habet adversus Parlamentum in Provincia : quoniam Ecclesiasticos tanquam Regis Franciæ subditos coram se litigare cogeret sub ficto colore possessorii, eosque Sedem Apostolicam adire prohiberet : Similiter etiam quod in tota Provincia Pragmaticam damnabilem aliaque similia in magnum libertatis Ecclesiasticæ detrimentum servare juberet. Quocirca memoratus Procurator petiit à Pontifice ut huic malo provideat. Pontifex autem sa-

cro

lecta constitutione, ubi Pontifex petiit à patribus an eis hæc placerent, omnes responderunt: placet: excepto Episcopo Bergomensi, & Thoma Cajetano Generali ordinis Prædicatorum: qui dixit, sibi non placere, quod Philosophis præciperetur ut publice persuadendo docerent veritatem fidei, id est, animæ Immortalitatem & mundi interitum. Hæc & similia ibi. Fama est Petrum Pomponatium Leonis X. Præceptorem, tum ejusdem Leonis jussu scripsisse librum de Animæ Immortalitate qui multorum manibus teritur, quem ego legi.

Quinto, ut frequentibus querimoniis contra exactiones Curiæ Romanæ obviam iretur Pontifex, narrat se constitutionem sanxisse, qua omnia sigillatim ad primævam Institutionem reducerentur; petitque Bullam suam de hac re à sacro approbari Concilio, qua re audita Prælati id sibi placere responderunt. Exceptis Reverendis Patribus D. Episcopo Potentino qui dixit sibi placere Bullam, sed velle ut videantur Articuli Reformationis, & alius dixit, placere Bullam, non tamen Reformationes, donec audiantur, & publicentur. Alii dixerunt. placere; dummodo fiat Reformatio Generalis.

Verum attendat Lector, quantum hæc distent ab antiquorum Patrum Conciliis dum Aristocraticum regimen Ecclesiæ floreret: Nam singuli Patres rebus accurate exploratis

&

& perpensis, sententiam suam sigillatim dicebant & actis ipsis subscribebant. Subductisque omnium suffragiis ex votorum pluralitate Synodalis conclusio edebatur. Hic autem solus Papa tanquam absolutus Monarcha Ecclesiæ, illa quæ domi in secreto & Oligarchico Concilio, vel potius quidam ejus ministro proprio motu & spiritu conscripserunt, ad Synodum adferuntur, ut tacito assensu absque ullo examine comprobentur & vim Synodalis Decreti obtineant. Quam agendi rationem, Cardinalis Bellarminus ut omnium optimam laudat lib. priore de Conciliis & Ecclesia Cap. IX. & maxime servandam asserit: quod nemini mirum videri debet, cum hoc pernecessarium sit, ad imaginariam infallibilitatem absolutæ Monarchiæ Curialium propugnandum: alias enim rueret nisi hoc fulta esset tibicine.

Dum hæc Romæ agerentur, Ludovicus XII. Princeps optimus viam universæ carnis mense Decembri 1513: ingressus est, cujus infortunia istuc nostri referunt, (si tamen de ejusmodi Arcanis licet hominibus judicare) quod Ludovicus Alexandrum VI. cum ejus sceleratissimis liberis impensius exornarit, atque Cæsari Borgiæ generis humani monstro, ut Alexandri Patris gratiam sibi conciliaret, nihil non indulserit desiderio potiendi ducatu Mediolanensi & Regnum Neapolitanum recuperandi: eo ipso tempore quo potius in stu-

ſtudium Eccleſiæ reformandæ debebat incumbere. Hinc autem poſteri cognoſcant quam hominum nefariorum amicitia & ſocietas præſertim Regibus atque Principibus Chriſtianis peſtifera ſit. Cæterum Ludovico Franciſcus I. in Galliæ Regno circa decimum octavum ætatis annum ſucceſſit.

VIII. Anno 1514. die 5. Maji. Seſſio nona peragitur, in qua primum occurrit alterum Regis Portugalliæ mandatum de ſua adhæſione Concilio Lateranenſi: Item Procuratio Prælatorum Galliæ: qua declarant ſe in obeundo itinere Romano quatuor & amplius menſes conſumpſiſſe: tum quia Maximilianus Sfortia detentor Principatus Mediolanenſi eos tranſitu ordinario prohiberet: tum etiam quia dum iter facere vellent per Genuam impediti fuerint propter diſſidia, factiones & bella Genuenſium, incurſiones vicinorum, atque confœderationes quas Maximilianus Sfortia habebat cum Genuenſibus: denique proteſtantur, ſe nomine totius Eccleſiæ Gallicanæ, tum Eccleſiaſticorum tum ſecularium cujuſcumque ſint gradus, ſtatus & dignitatis, qui in Piſana interfuerunt congregatione, obtemperando mandatis Apoſtolicis & Regis Franciæ exhortationibus, Piſano Conventui jam diſſoluto renunciare, & Lateranenſi Concilio adhærere: atque eodem nomine petere abſolutionem, *ſi forſan occaſione dictæ Congregationis Piſana,*

ſanæ, & geſtorum in ea aliquas Cenſuras à Jure, vel ab homine aut alias quaſcumque pœnas, de Jure aut de facto incurrerint. Hoc Canoniſtæ & Theologi vocant *petere abſolutionem ad Cautelam*: de qua re jam diſputavimus ſupra. Porro Franciſcus I. quia exercitum ſuum inſtruebat ad irrumpendum in Italiam: quoad paratus & armatus eſſet, hos Procuratores ad Lateranenſe Concilium miſerat petitum abſolutionem ad Cautelam.

Tertio, hac eadem Seſſione Bulla Leonis X. legitur qua omnibus Chriſtianis edicitur, ut pro pace inter Principes Chriſtianos conſtituenda preces fundant ad Deum pro expeditione contra Turcas: quam in rem Indulgentiæ promulgantur: quæ cauſam præbuerunt Schiſmati Lutheri Anno 1517.

Quarto, habes Bullam Reformationis Curiæ Romanæ in varios diſtributam Articulos, quam quidem Leo de proprio motu promulgat; vide ſupra Articulum quintum octavæ Seſſionis. Et hæc illa eſt eximia & tantopere à Chriſtianis nationibus ducentis ab hinc annis exoptata Reformatio, vel ut verius dicamus, abuſuum Curiæ Romanæ incruſtatio atque involutio.

IX. Seſſio decima celebratur IV. Maji 1515. in qua editur Conſtitutio Montium pietatis, ut vocant: qua Conſtitutione perlecta cum peteretur, an Prælatis grata eſſet: omnes reſponderunt, placere; excepto Tranenſi

nensi Archiepiscopo: qui dixit, sibi non placere, quoniam experientia didicisset istos montes pietatis multo plus damni quam utilitatis adferre. Quod ipsum Dominicus à Soto Libro sexto de Justitia & Jure quæst. I. & VI. comprobat: respondetque omnia Concilii Lateranensis Decreta minime approbari. Verum si ille hoc asserit de nona Sessione: quanto certius & verius nos de undecima Sessione id contendere possumus, in qua Apostolica disciplina & jus commune Synodo Constantiensi & Basileensi postliminii jure revocatum, & à Gallis in rem judicatam missum, Schismatis, Hæreseos, atque erroris damnatur: & status Universalis Ecclesiæ abrogatione Sacrarum electionum labefactatur?

Secundo, sequitur Bulla contra eos qui prætextu exemptionum quas à Pontifice obtinebant, omnem ordinariorum Jurisdictionem & correctionem devitabant, atque hujusmodi exemptionibus velut quodam Asylo impunitatis utebantur. Statuit autem Pontifex ut Ordinarii lites contra exemptos instruant atque omnem processum super ea re instructum, conclusum, & suo sigillo munitum impensis exemptorum ad Curiam Romanum mittant: Quæ mera est Jurisdictionis Ecclesiasticæ illusio, viaque certissima ad confirmandam absolutam Monarchiam Papæ: quoniam hac ratione Episcopi efficiun-

tur velut delegati Procuratores, & Commissarii Papæ ad lites instruendas & mittendas Romam. Quod autem ait, ut id fiat Impensis Exemptorum; hoc est falcem in messem alienam injicere, & tribuere Episcopis potestatem in res temporales & cogendi Exemptos ad pœnas pecuniarias. Quid si Exempti, ut Mendicantes & plurimi alii nulla bona temporalia possideant? Oporteret quidem Episcopos propriis impensis lites informare. Verum hac perlecta Bulla: Omnes Episcopi responderunt sibi placere, excepto Tranensi: qui dixit sibi non placere onus instruendæ litis eamque mittendi Romam Ordinariis imponi, &c.

Tertio, Bulla super librorum impressione vulgatur: qua Pontifex cavet, ne quid in urbe Typis edatur, nisi ante probatum fuerit aut vicario Summi Pontificis, aut Magistro Sacri Palatii. In aliis autem urbibus & Diœcesibus, ab Episcopo vel ejusdem Vicario: alioqui præter Confiscationem & publicam Combustionem librorum, Typographi damnantur ad solutionem centum ducatorum Fabricæ Principis Apostolorum, &c. Responsumque est ab omnibus Patribus ejusmodi Bullam sibi placere, excepto Melsitano Episcopo, qui dixit sibi placere de libris qui de novo componerentur, non de antiquis Patribus, &c. Cæterum hic notandum venit, Pontificem ut Episcopus & Pontifex est,

est, non posse pœnas pecuniarias irrogare, sed duntaxat ut Princeps Politicus. Itaque ejusmodi Bullæ extra Curiam Romanam obligare non possunt.

Quarto, alia Bulla editur super vadimonio aut die peremptoria Gallicæ Nationi indicta octava Sessione: qua Bulla alia dies peremptoria decernitur in ultimum diem Septembris proximi 1515. ut Galli tum Ecclesiastici cum Laici se Romam conferant, & causas explicent quare Pragmatica abrogari non debeat: Idque nisi faciant die præstituto, & vadimonio sistant: decernitur, futurum ut definitiva sententia contra hoc monstrum Sanctionis Pragmaticæ pronuncietur. Hac autem Bulla perlecta Ludovicus de Soleriis Regis Christianissimi Orator accessit ad pedes Pontificis, suasitque neminem citatum, teneri se periculo Maris, Latronum, inimicorum atque Itinerum exponere: nullum latere inimicos Regis Christianissimi interclusisse omnes vias, præsertim inter Delphinatum, Provinciam, Liguriam, & Lombardiam: Ita ut Prælatis Galliæ tutus accessus ad urbem nullo modo pateat. Quocirca postulavit à Summo Pontifice, ut Prælatos Galliæ excusaret, aut saltem illis de tuto & libero commeatu provideret: juberetque actum hujus postulationis & supplicationis conscribi à Notariis & sibi Oratori Regio illius daretur exemplum adCautelam amplio-

 rem

rem Ecclesiæ Gallicanæ, & aliorum quorum interesse poterat. Ad hæc autem Pontifex respondit, facilem & tutum patere transitum per januam, seque provisurum de salvo conductu per januam, & si opus esset de tutiore: velle autem Gallos se sistere Romæ ad diem peremptoriam: alioqui causam pragmaticæ definitum iri. Et ita Pater Leonem voluisse Gallos se exponere maris periculo cum terra minime illis pateret transitus in Italiam. Hoc autem quam sit æquum & legi gratiæ mitissimæ ac perfectæ libertatis congruum judicabit lector.

X. Hercle quidem, omnes viæ atque aditus Italiæ tum ita obstructi erant Gallis ut Francisco I. Regi Franciæ necesse fuerit viam sibi armis facere, totamque hanc controversiam bello periculosissimo decidere. Siquidem Mense Augusto 1515. Alpes partim ab Helvetiis, partim à Copiis militaribus Pontificis, Maximiliani Sfortiæ, & aliorum Italiæ Principum obsessas Franciscus contra omnium expectationem pertransivit, & XIV. Septembris parta illa memorabili victoria Marignensi ducatum Mediolanensem recuperavit. Ita ut Leo X. pacem à victore petere coactus sit: tantumque apud Ludovicam Sabaudam Francisci Matrem & Cancellarium à Prato Pontifex valuit, ut Francisco qui vigesimum ætatis annum minime compleverat, persuaderent, impossibile esse Galliæ Regnum

gnum pace potiri, & Francisco Mediolanensem ducatum servare: nisi Romanum Pontificem cum sua Curia fidissimos & amicissimos haberet: Id autem frustra sperari, quandiu Sanctio Pragmatica, id est, Constantiensis & Basileensis Concilii decreta vigerent in Galliis: Cum Romana Curia incredibili odio ejusmodi decreta prosequeretur, sicut tot gestis atque oppositionibus ejusdem Curiæ hac Synodo consignatis notissimum est. Hæc amplius Regi persuaserunt, scilicet nihil quicquam illi fructuosius, & ad omnes Ecclesiasticos Regni sui in officio validius continendos posse contingere: quam si ex animi sui arbitrio de omnibus Regni sui pinguioribus Sacerdotiis & Beneficiis disponeret; eaque quibuscumque vellet dispartiretur: sic enim promptum & paratum semper habiturum ærarium locupletissimum, quo nobiles atque alios regni sui subditos absque ullo populi aut ærarii sui dispendio vel detrimento abunde locupletaret. Denique ut Leo Regem facilius alliceret, eidem Mundi Imperium pollicebatur: jamque per anticipationem vanum atque inanem Titulum Constantinopolitani Imperatoris conferre volebant: hoc enim Scriptores illius temporis & inter alios Belleforestus narrat. Concessa insuper Francisco potestas exigendarum decimarum super Clerum specie armandi contra Turcam. Hoc ergo incentivo hisque egregiis Consiliariis Franci-

cus in primo flore adolescentiæ persuasus vel potius deceptus & circumventus, consensum præbuit ut sanctio Pragmatica antiquaretur: cujus rei obtinendæ causa, centum ferme annis Curia Romana temporalibus atque spiritualibus armis acriter decertavit: quantum autem hæc abrogatio ei cordi fuerit, vel sola hæc Synodus Lateranensis declarat: in qua illa abrogatio promovetur quarta, quinta, octava, nona, & decima Sessionibus, & tum demum finis operi imponitur undecima Sessione die XV. Decembris 1516. Ad hæc vero qui animum cogitate appulerit, non dubium est, quin Genebrardi nostri animi impotentiam improbet: qui pruritu bacchandi in Franciscum Galliæ Regem & colore excusandi Leonem X. contra publicam fidem & lucem Actorum scribit, *Leonem à Francisco I. circumventum, ut abrogationi Fragmaticæ assentiretur Lib. de Sacris Electionibus Capite tertio*: quo in opere multa alia mendacia adversus Franciscum & ejus prolem commemorat, cujusmodi id est *unum ex Francisci liberis oppressum scrinio è superioribus contignationibus decidente*, & alia ejusmodi.

XI. Sed revertor ad Bullam abrogationis Pragmaticæ & Institutionis Concordatorum inter Franciscum & Leonem: Quamprimum enim lecta & publicata est in Lateranensi Concilio cum peteretur à Patribus eisne placeret, placere sibi omnes respondent, dempto

pto Lucerino Episcopo qui dixit, sibi placere, modo tamen Galli acceptent ejusmodi Pragmaticæ revocationem: in eadem quoque sententia fuerunt Episcopus Brumatensis, Castelli maris, & Æsculanus: recte quidem: sciebant enim leges nullum robur habere nisi recipiantur & in mores hominum transeant. *Dist. IV. Can. in Istis §. leges instituuntur cum promulgantur, firmantur cum moribus utentium approbantur.* Cæterum Leo X. cum cerneret hanc suam Bullum Oligarchico, non Aristocratico Ecclesiæ Concilio conditam. Haud receptum iri à Gallis tum Clericis cum Laicis: quippe qui indicta causa contra jus divinum & naturale damnarentur: *Francisco Regi Galliarum in virtute sanctæ Obedientiæ mandat, quatenus per se vel alium seu alios in dignitate Ecclesiastica constitutos, præsentes literas ac omnia & singula in eis contenta, quando & quoties opus fuerit publicari & inviolabiliter observari faciat per Censuras Ecclesiasticas, & Pecuniarias Pœnas, aliaque juris & facti quævis opportuna remedia, appellatione qualibet omnino postposita, compescendo. Non obstantibus supradictis, aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas, &c.* Quibus verbis Pontifex Franciscum Regem facit Apostolicum, ei tribuendo facultatem excommunicandi etiam Ecclesiasticos & alios quoscunque, qui se abrogationi Pragmaticæ opponere vellent:

item imponendi Pœnas pecuniarias, quasi ad hoc sese potestas Ecclesiastica diffunderet: Similiter dat quoque potestatem procedendi omni via facti contra repugnantes: Et hæc sunt intolerabilia Gravamina penitus ac essentialiter mitissimæ potestati Spirituali Ecclesiæ opposita; ex quo nemini mirum videri debet, quod Curia Parlamenti & Universitas Parisiensis ad Concilium proximum de his omnibus provocarit, ut statim ostendetur.

XII. Verum jam animus est aliquot Argumenta ducta ex XI. Sessione Lateranensis Synodi examinare: quibus Curiales absolutam Papæ Monarchiam undequaque munitissimam effici arbitrantur. Nam Bellarminus Lib. II. de Conciliorum auctoritate Cap. XVII. urget *sub Leone X. Sessione XI. Synodi Lateranensis diserte & ex professo statutum Pontificem esse supra omnia Concilia: Et hac ratione contraria Decreta facta in Constantiensi & Basileensi Concilio reprobata fuisse, &c.* Quæ ut accuratius cognoscantur, genuina verba Concilii adscribam: *Leo Episcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam: Sacro approbante Concilio, Pastor æternus gregem suum usque ad consummationem seculi nunquam deserturus, &c. migraturus ex hoc mundo ad Patrem in soliditate Petræ Petrum ejusque Successores Vicarios suos instituit: quibus ex Libri Regum testimonio ita obedire necesse est, ut qui non obedierit moriatur. Et ut alibi legitur in Ecclesia esse non potest qui Romani*

ni Pontificis Cathedram deserit, &c. Deinde aliquanto post narrat, *Pragmaticam Sanctionem Regni Franciæ corruptelam, Sedis Apostolicæ detrimentum & vilipendium, Schisma manifestum fovere & continere: Schismatis tempore factam à non habentibus potestatem: reliquæ Christianæ Reipublicæ, Ecclesiæque sanctæ Dei nullatenus conformem: à claræ memoriæ Ludovico XI. Rege Francorum revocatam, cassatam, atque abolitam, velut auctoritatem, libertatem, & dignitatem Sedis Apostolicæ violantem, diminuentem, & Pontifici Romano auferentem facultatem providendi & conferendi Ecclesiastica Beneficia S. R. E. Cardinalibus, pro universali Ecclesia assidue laborantibus: necnon aliis viris doctis & personis quibus abundat Curia & à quibus Apostolicæ & Romani Pontificis atque universalis Ecclesiæ auctoritas & potestas conservantur. Item Pragmaticam illam præbere causam Ecclesiasticis qui eam tuentur ut sanctum nervum Ecclesiasticæ Disciplinæ & Obedientiæ. Frangant, & violent, & contra Summum Pontificem & Apostolicam Sedem Matrem suam cornua erigant, &c. Quapropter S. Leonis I. imitatione, qui in Synodo Chalcedonensi ea abrogavit quæ in pseudo-Synodo Ephesina Decreta fuerant, Leo X. enunciat se salva conscientia proprioque honore & ipsius Ecclesiæ dignitate, non posse aut debere diutius pati Pragmaticam inveterascere: neque quicquam referre, quod illa omniaque contenta in ea ex Decretis Synodi Basileensis prompta & in Bituricensi congregatione condita & recepta fuerint: Cum hæc omnia contigerint*

post

post translationem ejusdem Synodi Basileensis Eugenii auctoritate factam : & ab eo tempore congregationem Basileensem nomen mereri Conciliabuli aut potius Conventiculi : ideoque nullum robur habere posse. Cum præsertim, præbe aures Lector, *solum Romanum Pontificem tanquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum ac dissolvendorum plenum jus & potestatem habere, nedum ex Sacræ Scripturæ testimonio, dictis sanctorum Patrum & aliorum Romanorum Pontificum etiam prædecessorum nostrorum, sacrorumque Canonum Decretis; Sed & propria etiam eorundem Conciliorum Confessione manifeste constet : quorum aliqua referre placuit : reliqua vero utpote notiora silentio præterire. In Alexandrina enim Synodo Athanasio ibidem existente, Felici Romano Pontificias eadem Synodo scriptum fuisse legimus, Nicænam Synodum statuiße non debere absque Romani Pontificis auctoritate Concilia celebrari : Neque nos latet etiam eundem Leonem Pontificem secundam Ephesinam Synodum ad Chalcedonem transtulisse. Martinum etiam Papam V. præsidentibus suis in Concilio Senensi potestatem transferendi Concilium dedisse nulla consensus ipsius Concilii mentione habita : Ephesinam quoque primam Synodum Cœlestino ac Chalcedonensem eidem Leoni, sextam Agathoni, septimam Adriano, octavam Nicolao, & Adriano Romanis Pontificibus : prædecessoribus nostris maximam reverentiam exhibuisse : eorumdemque Pontificum Institutionibus & Mandatis in Sacris Conciliis*

liis per eos editis & factis reverenter & humiliter obtemperasse, &c.

Hæc est summa rationum, quibus Bulla Leonis firmatur, ut Pragmaticam sanctionem cum Synodi Constantiensis & Basileensis Decretis abroget: quæ Argumenta ad unum & viginti revocabimus. Primum, quod venditat constare ex Libris Regum, illos qui Romano Pontifici obedire detrectarint Letho dari oportere: nuspiam legitur in Libris Regum: nedum quidem Cap. XVII. Deuteronomii quod ad oram Sessionis XI. minutis Literis citatur. Quamquam autem in Deuteronomii Libro statuatur, illos qui Sacerdotis Imperio minime obtemperarint capite multari oportere: hoc tamen ad rigorem Literæ de sola antiqua lege, non de Euangelio, cujus potestas tantum spiritualis & ministerialis est, intelligi debet: Siquidem Lex gratiæ temporales pœnas, nedum capitales irrogare potest, ut alias probabitur.

Secundo, quemadmodum fatemur, necessum esse Catholicis ut B. Petri & Romanæ Sedis Cathedram agnoscant, eique fideliter adhæreant: ita monitum volumus Lectorem, diligenter secernat Cathedræ & Sedis Apostolicæ Decreta à Curiæ Romanæ aut absolutæ infallibilis Monarchiæ placitis: quoniam illa divinæ sunt Institutionis, nec se eis sicut absolutæ Monarchiæ Institutis imaginariis opponere licet, cæterum illa à Cathedra manare

nare dicuntur, quæ juri Divino, Naturali, & Canonico plane consentiunt: quibus quidem Curiæ Romanæ adinventiones omnino contrariæ sunt: ut sanctionis Pragmaticæ, id est, sacrarum electionum abrogatio: qua status universalis Ecclesiæ ab Apostolis constitutus, & mille quadringentis annis servatus, aut intra illud temporis intervallum quoties de Ecclesia melius regenda actum est, semper restitutus, omnino evertitur, ut absoluta infallibilis Monarchia asseratur. Hic ego statum Ecclesiæ universalis appello, regimen Aristocraticum, jus commune, sacras electiones, permultaque alia, quæ Synodo Constantiensi & Basileensi recuperata, & sanctione Pragmatica in rem judicatam missa erant. Jus autem Canonicum vocant, quod est Canonice conditum atque receptum secundum leges Aristocratici regiminis positas à Christo Matthæi XVIII. & ab Apostolis servatas in Actis Apostolorum: quæ genuinæ sunt notæ Euangelii, à quibus absoluta infallibilis Curiæ Romanæ Monarchia toto Cœlo discrepat.

Tertio, negatur Pragmaticam esse corruptelam Regni Franciæ cum potius rerum illius extiterit palladium adversus Anglorum invasiones: unde quandiu viguit omnia fausta & felicia Carolo VII. contigerunt.

Quarto, mera sunt convitia, dicere Pragmaticam esse Sedis Apostolicæ detrimentum,

tum, vilipendium, & schisma manifestum fovere, &c. Hæc enim & multo plura Cardinalis Senensis effudit quæ superius Cap. I. hujus Libri propulsata sunt. Annuo quidem, Pragmaticam esse Curiæ Romanæ detrimentosam, merito quidem: idque Leo X. non obscure docet cum ait sé ad ejus abrogationem præsertim accinctum quod facultatem auferret Pontifici conferendi beneficia Cardinalibus, & Curiæ Romanæ Asseclis. Verum si hæc ratio Leonis aut Lateranensis Synodi obtineat: insurgit tempore octo primorum Conciliorum Generalium, quo Regimen Aristocraticum, jus commune, & sacræ electiones stricte accurateque servabantur, Patres sanctissimos, qui tum vivebant, fuisse Schismaticos & Apostolicæ Sedi infestos quo etiam in numero reponendi erunt innumeri Pontifices Romani, qui suis Decretis sanxerunt, ut Jus commune, & sacræ Electiones servarentur: idque dum fieret, Ecclesia & Religio Catholica de hæresibus atque nefariis moribus triumphabat: curiaque Romana spoliis aliarum Ecclesiarum non splendebat ut hodie.

Quinto, pura est quæstio facti Pragmaticam conditam fuisse tempore Schismatis: id est, post dissolutum Basileense Concilium ab Eugenio. Certe quæstio juris eo redit, nimirum ut argumento ad hominem convincamus, Pragmaticam esse Canonice conditam: eo quod omnes ejusdem tituli decerpti sint ex

De-

Decretis Synodi Constantiensis & Basileensis: quæ à Martino V. & Eugenio IV. probata sunt: ut supra docuimus. Accedit insuper Leonem causam suam jugulare, dum ait, Pragmaticam conditam post translationem Synodi Basileensis ab Eugenio factam: & ab eo tempore congregationem Basileensem mereri nomen Conciliabuli aut Conventiculi. Ita enim fatetur, Concilium Basileense legitimum fuisse antequam transferretur Ferrariam: sicque à primo ad ultimum relinquitur, Decreta quæ illam translationem præcesserunt esse legitima: hæc autem sunt ex quibus Pragmatica concinnata est, ut Libro III. docui.

Sexto, minus veritati consonum est, Pragmaticam conditam à non habentibus potestatem: siquidem, Ecclesia Gallicana in Synodo congregata potest communioni consensu statuere de Disciplina Ecclesiastica collapsa recuperanda: & antiquis Canonibus Conciliorum revocandis in integrum: quanto ergo magis de mittendis in rem judicatam constitutionibus Synodi Constantiensis & Basileensis: cui sanctissimo Gallorum proposito, non Sedes Apostolica sed Curia Romana & absoluta Papæ Monarchia sese opposuit, sua lucra & commoda non quæ Christi sunt quærens, quotusquisque nescit, antiquis Canonibus constitutum, ut cuncta negotia Provinciæ Synodo Provinciali definirentur, Canone quinto

quinto Nicæno, & secundo Constantinopolitano?

Septimo, ut verum est Ludovicum XI. abrogasse Pragmaticam, ita certissimum, eandem paulo post in integrum revocasse. Quod autem in diplomate abrogationis legitur *Pragmaticam infensam Sedi Apostolicæ, licentiæ Templum prælatis erigere, tollere conformitatem ad alia regna, &c.* Hæc quidem Lodovicus non tam ex sua quam ex Pii II. relatione enunciat: quoniam Pius exemplum istarum literarum Regi Franciæ miserat per Atrebatensem Episcopum: ut claret ex Epistola Ludovici ad Pium II. in qua hæc leguntur: *Illud enim exoritur quod idem Consiliarius noster nomine tuæ sanctitatis astruxit: ut dum per Pragmaticam ipsam summa in Ecclesia tuæ Sedis auctoritas minuitur, dum Prælatis in regno nostro quoddam licentiæ Templum per illam præstruitur, dum congruens unitas ad alia Regna conformitasque tolli videtur abroganda sit, &c.* Hic per Consiliarium Atrebatensem Episcopum intelligit; hujus autem Epistolæ supra memini, extatque inter Epistolas Æneæ Sylvii 388.

Octavo, quod asserit, Pragmaticam reliquæ Christianæ Reipublicæ, & Ecclesiæ sanctæ Dei nullatenus conformem, &c. Respondeo, Curiam Romanam hoc semper in votis habuisse ut omnes Ecclesias suo absoluto & despotico Imperio subderet; Gallicanam autem Ecclesiam, semper suas libertates contra ejus-

modi abusus vindicasse: & quantum valuit regimen Aristocraticum & jus commune retinuisse: tandemque ope & potentia Caroli VII. Pragmaticam in Synodo Bituricensi condidisse: hacque ratione tantum Juri Divino, Naturali & Canonico concordem esse, quantum ab Curiæ Romanæ & absolutæ Monarchiæ placitis dissentiens est. Quocirca hîc illud B. Petri effatum usurpandum est, *obedire oportet Deo magis quam hominibus*, *Actor. V.*

Novo dum prohibet eo ipso abrogandam pragmaticam, quod facultatem auferat Pontifici conferendi Beneficia Cardinalibus atque aliis Curiæ Romanæ ministris: causam suam prodit. Bone Jesu, tantine temporalis splendor & commoda Curiæ facienda sunt, ut eorum causa omnes aliæ Ecclesiæ in luctu perpetuo esse: & status universalis Ecclesiæ ab Apostolis constitutus, id est, Regimen Aristocraticum, Jus commune, & sacræ Electiones à Christo & Apostolis institutæ everti debeant?

Decimo, quod labores Cardinalium atque illis auctoritatem & potestatem universalis Ecclesiæ conservari venditat. Rependo hic, Curiam Romanam pro Ecclesia obtendere certumque esse, nunquam prius consultum Ecclesiæ, quam ab eo die, quo Pompaticum Collegium Cardinalium, ad eam speciem quam oculis intuemur, conflatum est. Profecto ex Christi Institutione Matthæi XVIII.
&

& praxi Ecclesiæ Canone quinto Nicæno, & secundo Constantinopolitano : Synodi Provinciales institutæ & continuatæ sunt ad conservandam auctoritatem Ecclesiæ, omniaque negotia spiritualia dirimenda & regenda. His vero abrogatis seculo Gregorii VII. Collegium Cardinalium erectum est, ut formam quamdam regiminis & temperamenti Aristocratici constitueret in Ecclesia : sed tandem sese totum Monarchiæ absolutæ Pontificis ita mancipavit, ut multo magis Cardinales soliciti sint de augenda & conservanda Curiæ Romanæ Monarchia, quam de Ecclesiæ dignitate vel auctoritate propugnanda : idque quotidiana experientia satis demonstrat. Legendus in eam rem Gersonius de examine Doctrinarum parte secunda consideratione quinta.

Undecimo, si Jus Commune & sacras Electiones, id est, sanctionem Pragmaticam servare, est nervum obedientiæ ac disciplinæ frangere, & contra Papam atque Sedem Apostolicam cornua erigere, &c. Oportet quidem Apostolos & omnes Patres sanctissimos Ecclesiæ primitivæ, imo etiam omnes Pontifices qui sub octo primis Generalibus Conciliis floruerunt, disciplinam Ecclesiasticam violasse & cornua in Sedem Apostolicam erexisse : quod dicere Hæreticum est, vide responsionem ad quartum Argumentum : & nota Curiam Romanam hic semper proponi

sub Ecclesiæ persona ut facilius ignaris illudatur.

Duodecimo, longe diversa est ratio pseudo-Synodi Ephesinæ quam Leo magnus damnavit, & Concilii, Basileensis, Bituricensis, aut Pragmaticæ sanctionis: sicut omnibus exploratum est. Siquidem pseudo-Synodus Ephesina Christo, ac si fuisset naturæ humanæ expers, unicam voluntatem divinam addicebat. At Basileense & Bituricense Concilium, quantum iniquitas temporum pati potuit, Aristocraticum regimen, Jus Commune, & sacras Electiones cum Disciplina Apostolica, quasi jure postliminii revocat: atque Annatas, & spolia omnium Ecclesiarum Romam deferri, & beneficia pacto pretio conferri prohibet: idque si Schismaticum Curialibus videtur, præstat. Cum Apostolis& antiquis Patribus qui solam Christi gloriam qnærebant hac in parte errare, quam cum hominibus sua tantum privata commoda ambientibus bene sentire.

Decimo-tertio, quód urget nihil referre Pragmaticam omnesque Titulos eadem contentos, ex Synodi Basileensis Constitutionibus deceptos esse: cum hæc omnia condita fuerint in schismate post Synodi Basileensis translationem Ferrariam, depello ut superius ad quintum.

Decimo quarto, quod ait, post translationem Concilii Basileensis Conventum Pa-

trum

trum Basileensium mereri nomen Conciliabuli aut potius Conventiculi: explicatum est superius in Historia Basileensis Synodi: ubi Argumento ad hominem probavimus ex ipsismet Decretis ab Eugenio probatis, eidem Eugenio minime licitum dissolvere aut alio transferre Concilium absque ipsius Concilii auctoritate & consensu: nam quæstio juris istuc pervadit.

Decimo quinto, tametsi Bellarminus Lib. secundo de Conciliorum auctoritate Cap. XVII. asserat, nihil posse responderi ad locum quo perhibetur constare solum Pontificem Romanum habere potestatem super omnia Concilia ut ea convocet, transferat, & dissolvat plenitudine potestatis, &c. nisi vel Concilium Lateranense non fuisse generale, vel non fuisse ab Ecclesia receptum, vel non hæc definivisse tanquam de fide, &c. Nihilominus ipsemet tanquam sui immemor duobus in locis hanc diluit objectionem: Primum eodem Capite quo hanc excitat objectionem. Ubi perhibet Decretum Lateranense esse de fide: *Nam* inquit *tale est hoc de quo agimus*. Deinde hæc alia refert: *Quid vero Concilium Lateranense rem istam non definierit, proprie ut Decretum fide Catholica tenendum, dubium est: & ideo non sunt proprie Hæretici qui contrarium sentiunt: sed à temeritate magna excusari non possunt.* Quæ Oratio est hominis valde perplexi atque anxii. Quid enim est, hoc

 quo

quo de agit *tale esse*, id est, ad fidem pertinere: *& Concilium Lateranense rem istam non definivisse proprie, ut Decretum fide Catholica tenendum: & proprie Hæreticos non esse qui contrarium sentiunt?* Hoc vero quamquam dubia sint, tamen adhuc incertiora sunt quæ idem Bellarminus eodem Libro Cap. decimotertio scribit: *Quamvis postea in Concilio Florentino & Lateranensi ultimo*, ait, *quæstio de superioritate Papæ definita videatur: tamen quia Florentinum Concilium non ita expresse hoc definivit; & de Concilio Lateranensi, quod expressissime rem definivit, non nulli dubitant an fuerit vere generale: ideo usque ad hanc diem quæstio superest etiam inter Catholicos.* Quibus ex Bellarmini responsionibus implicatis & velut contrariis duo manifeste colligimus. Primo dubitari an Lateranense Concilium sit universale: Secundo hoc Leonis X. Decretum non esse de fide: ac propterea non illos obligare qui contra sentiunt: quæ à me dicuntur Argumento ad Hominem, idest, ex propriis adversariorum concessis. Hercle Magister Andræas Vallius quarta parte, Quæstione septima Libri de Suprema potestate Papæ, rem hanc accuratissime evolvit, atque omnem causam dubitandi tollit, & præterea temeritatis maculam qua nos conspurcare vult Bellarminus, plane delet. *Ad Concilium Lateranense*, inquit, *quod multo expressius loquitur quam Florentinum variæ sunt responsiones: quidam enim ajunt non fuisse*

fuisse vere & proprie generale, cum ei vix centum Episcopi interfuerint. Alii dicunt Caput illud XI. *in quo de auctoritate Concilii supra Pontificem mentio fit, à Concilio non fuisse discussum, aut examinatum; sed tantum perlectum coram Prælatis Concilii: qui sine prævio examine illud approbarunt: ideoque dici non posse Conciliariter conclusum & definitum, sicut de Concilii Constantiensis definitione dictum est. Alii sic rem expediunt, etiamsi inquiunt, Concilium absolute fuisset generale (quod adhuc propter Episcoporum paucitatem relinquitur incertum) tamen rem ipsam ut Decretum Fidei Catholicæ non definiunt: nulla enim in verbis Concilii nota apparet ex qua fidei definitionem colligamus. Nam nec Anathema pronunciat in eos qui contra sentient: nec dicit se hoc expresse aut proprie definire: aut esse de necessitate salutis ita credere, vel quid simile, ex quo expressa definitio colligatur. Alii denique respondent, Concilium eatenus auctoritatem Papæ supra Concilium definire quatenus id ex Scripturis, Patribus & antiquis Canonibus manifeste constare censetur. Ad hæc enim si omnia verba attente expendiantur vim suæ definitionis,* SI QUÆ SIT, *Concilium revocat. Atqui quod res illa de Fide sit, ex nullo Scripturæ, Patrum, aut antiquorum Canonum Testimonio constat, igitur non potest illud dici à Concilio Lateranensi tanquam de Fide definitum. Cæterum* NON TANTUM NEUTRA HARUM OPINIONUM HÆRETICA EST, SED ETIAM NEUTRA EST ERRONEA, ET TEMERA-

RIA SALTEM TEMERITATE OPINIONIS.

Hucuſque Vallius nimium quantum diſtrictus, in tuenda & explicanda Bulla Leonis X. quæ quidem puram continet narrationem Hiſtoricam non fidei aut Concilii Decretum. Certe more puerorum nucum Caſtella quæ ædificant evertentium, illa ipſa hoc in loco ſubruit, quæ alias magno hiatu & molimine architectari voluit. Si enim neutra harum opinionum temeraria aut erronea eſt: cur ergo tantum evomuit billis atque convitiorum adverſus Vigorium & Richerium, quoniam Synodi Conſtantienſis & Baſileenſis Decreta tuerentur? Cur eos paſſim Hæreticas & Schiſmaticos aut quid ſimile vocitat? Saltem, ut reliqua illorum firmamenta prætermittamus, hoc ipſo illi Vallium ſuperant, quod Decretis Concilii Conſtantienſis legitimi atque indubitati nitantur: Vallius autem præter Decretales Pontificum & putidos elenchos à petitione principii, nihil habet quo ſuas opiniones imaginarias munire valeat. Quod autem aſſerit undecimam Seſſionem Lateranenſis Synodi non factam Conciliariter, nihilque in ea Synodice diſcuſſum & examinatum, certe nobis Officinam inſtruit unde tela promamus quibus totum Lateranenſe Concilium labefactetur: quoniam nulla eſt Seſſio in qua aliquid Synodice conditum fuerit: ſed cuncta deſpotico Imperio, edicta & concluſa ſunt

etiam

etiam à Julio & Leone X. armatis : itaque ut hæc locum habeant antea adversariis probandum venit Christum noluisse Sanctorum communionem & consensum Catholicum Ecclesiarum bello atque armis cogi.

Decimo sexto, utrum ex locis sacræ Scripturæ probari possit Papam auctoritatem habere supra Concilia, sicut Leo venditat, ipsummet Vallium judicem fero, qui paulo ante laudatus docuit, *Ex nullo Scripturæ, Patrum, aut antiquorum Canonum Testimonio id constare*. Recte quidem : quia hic Textus, *Tu es Petra aut Petrus, & super hanc Petram, &c. Pasce Oves meas, &c.* sunt Metraphorici & Allegorici. Ex quibus post multam rationem nihil quicquam aliud præter primatum extundi potest. Cæterum primatui, sicut & omni generi potestatis Ecclesiasticæ dominatus aut absoluta plane Monarchia essentialiter ac intrinsece repugnat quoniam potestas Ecclesiastica quanta quanta ministerialis spiritualis est, omni facultate absolute aut temporaliter cogendi divinitus privata, quocirca absoluta nullo modo esse potest : quod identidem dicendum est.

Decimo septimo, quonam modo capiendum sit Alexandrinam Synodum Felici Romano Pontifici scripsisse, & Synodum Nicænam statuisse Concilia haberi non debere absque Pontificis Romani sententia, explicatum est Capite primo Libri prioris hujus Hi-

ſtoriæ Conciliorum Generalium. Inſuper obſervandum venit, longe aliud eſſe Synodum haberi non poſſe abſque Epiſcopi Romani ſententia: & Epiſcopum Romanum plenitudine poteſtatis, ut vocant, Concilia poſſe diſſolvere & quocumque voluerit transportare: quoad primum ordinarie & regulariter verum, ſecundum autem abſolute falſum eſt: quia abſolutam imagnariam ſupponit Monarchiam.

Decimo octavo, quid tenendum ſit de Indictione primæ Synodi Epheſinæ, item de pſeudo-Synodo Epheſina & Chalcedonenſi Concilio repetes ex primo Libro hujus Hiſtoriæ.

Decimo nono, acta & exordium Synodi Baſileenſis liquido demonſtrant Senenſe Concilium Baſileam tranſlatum fuiſſe, non quidem unius Martini V. auctoritate, ſed communi conſenſu deputatorum ſingularum nationum, ex quibus tum Synodus coaluerit. Attende Lector ad hæc acta genuina: *Quibus Decretis & Literis Apoſtolicis Martini V. ſic lectis & publicatis, prædicti Domini quatuor Præſidentes ibidem præſentes, per organum dicti Reverendiſſimi Patris, Domini Petri Archiepiſcopi Cretenſis, unius ex præſidentibus in ipſum locum, videlicet Civitatem Baſileenſem, ſicut præmittitur* PER IPSOS DOMINOS DEPUTATOS ELECTAM *conſenſerunt, ac eandem Civitatem Baſileenſem in Provincia Biſuntiana conſiſtentem,*

UNA

UNA CUM DICTIS DOMINIS DEPUTATIS NATIONUM, ET IPSI DEPUTATI NATIONUM, *videlicet Italiæ de extra Territorium Senense, Gallicanæ, Germanicæ & Anglicanæ, juxta dicti Decreti Constantiensis Concilii vim, formam, & tenorem, ac potestatis à Domino nostro Papa prædicto eis traditæ & concessæ elegerunt, & nominarunt, &c. Protestantes tamen quod propter hoc ipsum Concilium Senense non censeatur dissolutum esse: sed quod ipsi præsidentes cum inclytis Nationibus ad omnem reformationem hic possibilem concurrere vellent. Et hoc idem præfati deputati per ordinem similiter protestati fuerunt: quilibet pro sua natione, quod ad reformationem hic possibilem attendere vellent, &c.*

Quæ acta de translatione Senensis Concilii Basileam; Decreto quidem Synodi Constantiensis Sessione XXXIX. usquequaque congruunt: quo Decreto nominatim cavetur, ut Papa de Consensu Concilii aut Nationum ex quibus Concilium coalescit, futuram Synodum indicat: quod fuse superius in Historia Constantiensis & Basileensis Concilii probavimus. Cæterum hæc alia verba: *Quod ipsi Præsidentes cum inclytis Nationibus ad omnem reformationem hic pssibilem concurrere vellent*, declarant quanto desiderio tum & dehinc omnes Christianæ Nationes ad Ecclesiæ reformationem anhelarent. Cui sanctissimo afflatui & proposito Deus bone quantis est illusum modis! Quæ Machinæ & Balistæ ad

id impediendum & disrumpendum non paratæ atque instructæ fuerunt? Eoque ventum, ut si qui hodie viri pii & boni eam in rem verba cum aliquo commutare audeant infra Schismaticos & Hæreticos amandentur. At hoc dicere non est Patrum pudenda detegere, sed pridem detecta & propudiose oculis hostium Ecclesiæ exposita velle sanare, more Prophetarum veteris Legis. Utinam quidem hic per ignorantiam nostri peccarent sicut Noë: qui cum vim atque usum vini ignoraret, postquam est egregie epotus, dormiendo verenda nudavit. Quocirca non tantum inter liberos proprios, sed etiam inter barbaras Nationes misericordia & venia dignus erat. S. Bernardus Epistola XLII. ad Henricum Senonensem Archiepiscop.: *Non valde ait, Romani curant quo fine res terminentur sed quia valde diligunt munera, sequuntur retributiones*, de Curialibus loquitur: *Nude nuda loquor nec retego verenda, sed inverecunda confuto. Utinam privatim & in cameris hæc fierent: utinam soli viderimus, & audierimus: utinam nec loquentibus crederetur; utinam nobis reliquerint moderni Noe unde à nobis possent aliquatenus operiri. Nunc vero cernente orbe mundi fabulam soli tacebimus? Caput meum undique conquassatum est, & ego sanguine circumquaque ebulliente putaverim esse tegendum? Quicquid apposuero cruentabitur, & major erit confusio voluisse celare cum celari nequeat.*

Vigesimo, sicut nullus inficias it, quin prima

prima Ephesina, Chalcedonensis, sexta, septima, & octava Synodus Generalis merito singularem habuerit honorem Episcopis Romanis tanquam primis Patriarchis; & eorundem Constitutiones cum debita reverentia susceperint: ita pernegamus hos tanquam Monarchas absolutos infallibiles unquam ab antiquis Patribus cultos aut agnitos fuisse. Idque satis claret ex priore Libro Historiæ Conciliorum Generalium: quo Ecclesiæ Romanæ primatum etiam contra Hæreticos asseruimus.

Ultimo, cum ex viginti Articulis superius propositis & ex Leonis X. Bulla excerptis, permulti sunt, qui neque sacris Scripturis, neque Fidei Catholicæ, neque antiquis Canonibus, & sententiis Patrum aut veritati Historiæ Ecclesiasticæ ullo modo concordent: Rogatos velim adversarios dicant ingenue, qua fronte dicere audeant, vel Papam esse infallibilem quando decernit ex Cathedra: (cum negare non possint Leonem hic aliquos doctos adhibuisse in consilium, ut hanc undecimam Sessionem conderet, & decerneret Papam actoritatem habere absolutam super omnia Concilia, &c.) vel etiam Synodum Lateranensem esse Oecumenicam atque Decretum Fidei de eminentia Papæ supra Concilium scivisse, & Synodi Constantiensis Decreta abrogasse.

Proculdubio cum essem Baccalaureus The-

Theologiæ atque Libros Bellarmini legebam, quibus Constantiense Concilium tanquam factum in Schismate labefacit & Decreta Synodi Basileensis damnat : ac Scholæ Parisiensis doctrinam de Concilii auctoritate supra Papam velut erroneam & Hæresi proximam esse contendit Lib. IV. de Romano Pontifice Cap. II. Equidem toto corpore & animo contremiscebam : & ita quidem, ut vicem Majorum nostrorum Alliaceni, Gersoni, &c. valde dolerem : quod se errori Schismatico implicuissent. Mihi etiam nomen facultati Parisiensi dedisse ferme pigebat : insuper omnia Parlamenta & Magistratus Franciæ, quod ejusmodi Decreta & jura Regis adversus Sedem Apostolicam (nondum enim Curiam Romanam noveram) defenderent ac vindicarent, Schismaticos reputabam, meosque Discipulos, ne in tales errores impingerent, sedulo commonefaciebam: quam ad rem tumultus Civiles qui sub Henrico III. Anno 1588. bacchabantur me maxime exstimulabant. Verum, postquam in doctissimas relectiones Francisci à Victoria Dominicani & Theologiæ Professoris in Hispania incidi, atque animadverti illum explicate & nominatim docere opinionem B. Thomæ Parisiensium esse probabilem : atque insuper Scholæ Parisiensis doctrinam, (quam propter Doctorem suum S. Thomam deferit) tantis munire Argumentis, ut existimet

Con-

Concilium posse Decretum condere de quo Papa absque gravissimo peccato dispensare non possit; tum quidem in animum induxi, Christum non dedisse Pontifici potestatem quam cum peccato legitime exerceret: & continuo doctrinam Parisiensium talem non esse qualem Bellarminus atque alii criminantur. Quocirca statui quamprimum essem Lauream Theologiæ emeritus, veritatem regiminis Ecclesiæ à Christo instituti Dogmatice & Analytice pervestigare. Quod ut facerem confusiones Babylonicas Bellorum Civilium Ligæ pace parta mihi ardentissimas faces admoverunt. Quas confusiones sola absoluta Papæ Monarchia muniri & propugnari à nostris videbam: hoc autem in studio fateor me decennium integrum & amplius assidue legendo & scribendo impendisse: tandemque veritate à Priori & Posteriori cognita, Ecclesiæ atque Disciplinæ Apostolicæ vicem graviter luxisse. Maxime vero, quod hominibus obnoxiis propositum videam, humana Curiæ Romanæ consilia & instituta, pro sanctissimis, divinis, ac infallibilibus Ecclesiæ Catholicæ dogmatibus obtrudere: & Schismatis ac Hæreseos nota illos omnes apud imperitam plebem inurere, qui se ejusmodi arcanis & quæstuosis Curialium placitis opponere aut ea in vulgus prodere auderent. Quod in causa est, ut permulti ab hujus veritatis cognitione aut enunciatione in vulgus absterrean-

rean-

reantur: propterea quod superstites aut mortui Censoriam notam pertimescant: quasi vere Christiano & Theologo præsertim, qui alios docere debet, formidandæ essent Censuræ, quæ neque divino, neque naturali aut Canonico jure nituntur: *Frustra enim jacitur rete ante oculos pennatorum*, Proverbior. I. Annon debemus exoptare fieri peripsema, imo & Anathema propter veritatis Euangelicæ defensionem? Sed his omissis, ad ea veniamus quæ post Synodum Lateranensem in Galliis totaque Europa gesta sunt.

Quædam acta Ecclesiæ Gallicanæ, pro Juris Communis & sacrum electionum defensione.

Summa suasionum habitarum in Curia Parlamenti, mense Majo, anno M.D.XVII. super publicatione Concordatorum, inter Leonem X. PP. & Franciscum I. Galliæ Regem.

„ XIII. CUm Rex Dominus noster supre-
„ mus degeret Parisiis, ac mense
„ Februario M.D.XVI. frequentem Ar-
„ chiepiscoporum, Episcoporum, atque ali-
„ orum Prælatorum numerum, Præsidum
„ quoque & Consiliariorum Parlamenti, Ca-
„ nonicorum Ecclesiæ Parisiensis, Doctorum
„ in Theologia, & suppositorum Academiæ
„ Parisiensis in magnam Decuriam Parlamen-
„ ti, in qua causæ perorari solent, convocari
jussis-

ſiſſet ; ſe præſente atque inſpectante , Cancellarium Franciæ hanc narrationem habere voluit. "

Julium II. Papam , qui nuper ſuum diem ſupremum obierat , Ludovicum XII. Galliæ Regem , tum quod nonnullos Principes Italiæ ſibi confœderatos propugnaret , tum aliis de cauſis ſatis pervagatis , Ducatu Mediolanenſi abdicare , ac tota Italia interdicere conſtituiſſe : eoque ut perveniret , ſe Regni Galliæ hoſtem declaraſſe , Ludovicum cenſuris obſtrinxiſſe , Ducatum Mediolanenſem interdicto ſubjici , manciparique voluiſſe. Deinde palam & publice dixiſſe , ſibi in animo eſſe Regem Franciæ , non tantum Italia , verumetiam toto Galliarum Imperio ſpoliare, Et eam obrem , quodam in Conventu , quem Lateranenſe Concilium vocabat , nulla juſtitiæ forma vel ordine ſervato , Ludovicum cum toto regno , Schiſmatis , & Hæreſeos damnaſſe ; fœdera & ſocietates cum Imperatore , cum Angliæ , & Hiſpaniæ regibus , atque Helvetiis iniiſſe . eiſque univerſum Galliarum Imperium prædandum ac inter ſeſe partiendum dediſſe : atque inſuper poſt Mirandulæ expugnationem , tantum quidem opibus & armis Principum memoratorum , & præſertim Helvetiorum effeciſſe , ut Ludovicum Ducatu Mediolanenſi , dominatu Genuenſi , & Comitatu Aſtenſi nudaret :

„ ac Imperatorem, Angliæ & Hiſpaniæ Re-
„ ges cum Helvetiis, ad Regnum Franci-
„ cum per Burgundiam, Aquitaniam & Pi-
„ cardiam invadendum ſolicitaret. Sed Julio.
„ II. & Ludovico XII. vita functis, cum Leo
„ X. PP. in eodem odio & confœderationi-
„ bus adverſus Regem & Regnum Gallicum
„ perſeveraret, Franciſcum primum cum to-
„ to ſuo exercitu, principatum Mediolanen-
„ ſem cum cæteris ſuis Italiæ dinarchiis recu-
„ perare conantem, in maximum vitæ di-
„ ſcrimen, ut omnibus erat notiſſimum, addu-
„ xiſſe: ac præterea eidem Principi, necnon
„ univerſæ Eccleſiæ Gallicanæ, frequenti-
„ bus Breviculis & Decretis peremptoriis
„ diem Romæ dixiſſe, quo Sanctionem Pra-
„ gmaticam abrogari paterentur, aut ſaltem
„ ſe in congregatione Lateranenſi ſiſterent, &
„ quare antiquari non deberet exponerent.

„ Quæ cum Franciſcus I. apud ſe perpen-
„ deret, & vadimonium ſibi à Romano Pon-
„ tifice indictum elabi videret: ſuos in Con-
„ cilium vocari & deliberari voluiſſe, utrum
„ magis expediret aliquos Romam mittere ad
„ defendendam Pragmaticam, quam pati ut
„ per vadimonii deſertionem antiquaretur:
„ communi autem conſenſu ſtatutum fuiſſe,
„ multo ſatius eſſe non mittere Romam, quip-
„ pe cum omnes pro comperto haberent Pra-
„ gmaticam damnatum iri à Pontifice, quic-
„ quid Rex & Gallicana Eccleſia in contra-
rium

rium obniterentur; tum maxime quod con- "
gregatio Lateranensis ex solis Romanæ "
Curiæ aulicis coaluisset; quibus aulicis pro- "
pter suam insignem avaritiam & ambitio- "
nem sanctio Pragmatica semper exosa fue- "
rat: quare illam jure aut injuria exscindere "
decreverant. At multo minus damnosum "
videbatur *inaudita parte*, & vadimonii de- "
sertione condemnari. Verum, cum Regi "
exploratum esset, si impedire vellet quo mi- "
nus Pragmatica sanctio exolesceret, futu- "
rum, ut Leo X cum suo Lateranensi Con- "
cilio, censuris atque interdictis Regem & "
Regnum Gallicanum oppugnaret; & si "
forte annum integrum in illis Censuris at- "
que interdictis Galli continuarent, Galli- "
canam Ecclesiam Schismatis & Hæreseos "
damnatum iri; Pontificemque Romanum "
fabricas & confœderationes suas frequen- "
taturum, ac Julii II. exemplo, universum "
Franciæ Regnum prædæ expositurum: "
Præterea, cum videret se nulla ratione con- "
sequi posse, quin sanctio Pragmatica abro- "
garetur, ac etiam certo teneret, si ejus "
abrogationi assentiretur, perturbationem "
& confusionem, quæ ante Constantiense "
& Basileense Concilium (propter intolera- "
biles Reservationum & Gratiarum expe- "
ctativarum abusus) vigebat, introductum "
iri in Gallias: Tandem, quo omnibus istis "
incommodis mederetur, sibique, regni "

„ Principibus, & cuncto exercitui ſuo, facilem ac ſecurum reditum ex Italia in Galliam muniret, omneſque Confœderationes contra ſe, regnum Francicum, & Principatus ſuos Italiæ initas diſſiparet, coactum fuiſſe paciſci cum Leone X. Pontifice; idque, omnibus ante tentatis, niſi Pragmaticæ antiquatione, & Concordatorum Inſtitutione nunquam conſequi valuiſſe. Hæc porro Concordata, quoniam firmata fide Rex curatum ſe promiſerat ut ab Eccleſia Gallicana probarentur, & in acta Parlamenti referrentur; idcirco velle atque imperare, quo mala ante expoſita vitarentur, paxque & ſecuritas Regi, Gallicano Imperio, & dinarchiis ſuis Italicis compararetur, iſthæc firmari & promulgari Concordata in Senatu.

„ Quamprimum vero, hæc propoſita fuerunt à Cancellario, omnes Prælati, Canonici, Doctores, & viri primates Academiæ Pariſienſis ſeparatim ſeceſſerunt: ſimiliter Præſides & Conſiliarii Parlamenti coiverunt in Concilium, ut quid optimum eſſet reſponſu deliberarent: illico autem redeuntes ad Principem, Cardinalis Boiſſiacus, pro ordine Eccleſiaſtico, retulit negotium Concordatorum ad ſtatum univerſalem Gallicanæ Eccleſiæ attinere: quare, hac inaudita & inconſulta, Concordata nullo modo probari poſſe. Subinde Rex triſtior

atque

atque iratior perbibuit, ſe Eccleſiaſticos “
ad ſuas conditiones adducturum, aut eos “
miſſurum Romam, ut de Concordatorum “
injuria cum Romano Pontifice expoſtula- “
rent. At Præſes Bailletus, nomine ordinis “
Senatorii reſpondit, ſe quamprimum de “
Regis voluntate ad Patres relaturum, o- “
mneſque operam daturos, ut Deo, & Regi “
fieret ſatis. Tum Cancellarius Principi di- “
xit, viros Senatorios caute quidem in hoc “
negotio agere. Cui Rex (de Præſidibus & “
Conſiliariis Parlamenti loquens) reſpondit, “
at iſtos, ut imperata faciant, apprime co- “
gam. “

Die ..... Maji ejuſdem anni, Dux Bor- “
bonius, qui Comes erat ſtabuli Franciæ, “
Domini d'Alibretus, Dorual, & Cancella- “
rius, venerunt in Parlamentum; ubi Can- “
cellarius regias literas, vulgo *patentes* nomi- “
nant, quibus Concordata Bononienſia con- “
tinebantur, ordini Senatorio porrexit: “
atque eandem ferme ſuaſionem, quam alias “
ſedente Principe in Parlamento habuerat, “
iteravit: & poſtquam omnes cauſas quibus “
Rex inductus fuerat ad paciſcendum cum “
Romano Pontifice ſigillatim recenſuit, “
tandem concluſit, ſe una cum Principibus “
& viris illuſtribus ante memoratis veniſſe “
in Parlamentum, ut declararet Regem vel- “
le atque imperare (ſicut alias ſedens in Se- “
natu præceperat) Concordata legi, publi- “

„ cari, & in acta referri, quoniam hoc Leoni „ X. Pontifici maximo spoponderat. Ad „ hæc Præses Bailletus dixit, Senatum Con„ cordata visurum & examinaturum, idque „ facturum quod ratio & justitia suaderent. „ Quamobrem factum est Senatusconsultum „ de regiis literis, quibus Concordata Bo„ noniensia continebantur, Triumviris regiis „ communicandis.

„ Die V. Junii sequentis, idem Cancella„ rius duas literas pergameneas *sub plumbo* at„ tulit in Senatum; quarum unis abdicatio „ Pragmaticæ, alteris Concordatorum In„ stitutio continebatur: sed ambæ eodem an„ no & die confectæ fuerant. Decretum si„ militer fuit à Patribus, ut literæ illæ Tri„ umviris regiis darentur, sicuti revera datæ „ fuerunt, Quo quidem die, omnibus Decu„ riis Parlamenti in unum confluentibus, „ præsente atque inspectante Cancellario, „ Lepus advocatus, & Rogerius cognitor re„ gius, ea quæ Concordatis Bononiensibus „ continebantur, omniaque detrimenta & „ incommoda quæ erant paritura, si unquam „ à Senatu confirmarentur, summatim ex„ posuerunt: atque amplius supplicarunt Pa„ tribus, quatenus viros aliquos Senatorios „ deligerent, qui Regem adirent, eumque „ de ruina, quam Concordata allatura erant, „ plane informarent: ac præterea suppliciter „ ab eo contenderent, ne istiusmodi Concordatis

datis Ecclesiæ Gallicanæ libertatem ex- “
scindi, regnumque universum opibus, & “
pecuniis, propter Annatas quas robora- “
bant, funditus vacuari pateretur. Die “
insequenti, omnibus Decuriis congrega- “
tis, Provincia examinandorum Concorda- “
torum, & de illis referendi ad ordinem Se- “
natorium, Magistris Andreæ Verius, Ni- “
colao Magistro, Francisco de Loines, & “
Petro Preudhome Consiliariis Parlamenti “
demandata fuit.

Die autem XXVI. Junii, omnibus Ca- “
meris Parlamenti una congregatis, nothus “
Sabaudiæ, maternus Regis avunculus, ve- “
nit in Senatum cum literis regiis Ambianii “
scriptis : quibus literis, Princeps jubebat “
Senatum publicationem, confirmationem, “
& expeditionem Concordatorum, præsente “
& inspectante avunculo suo, maturare: quem “
quidem velut seipsum nec aliter quam si ipse “
interesset Senatui, promulgandis Concor- “
datis interesse, & quæcumque de isthoc “
negotio agerentur in Senatu, tam genera- “
tim quam speciatim ad se fideliter referre “
volebat. Cæterum, literis regiis perlectis à “
Patribus nothus Sabaudiæ exposuit, sibi “
privatim mandatum fuisse, ut declararet Se- “
natui, Principem ægre admodum ferre, “
quod Concordata publicare recusassent: ju- “
bere autem, ut omnibus posthabitis pro- “
barentur & promulgarentur : atque etiam, “

„ ut ego, inquit ille, omnibus veſtris interſim deliberationibus, quemadmodum regiis literis edicitur. Sed quoniam novum & inauditum erat, quemquam Patrum deliberationibus intereſſe, qui de corpore Curiæ Parlamenti non eſſet, Senatus cenſuit Magiſtros Joannem de la Haire, & Nicolaum Dorigni Conſiliarios Parlamenti, mittendos ad Regem, tum ut ei cunctationem Patrum in firmandis & promulgandis Concordatis, probare, tum vero ut ab eodem impetrare niterentur, ne Sabaudiæ nothus, aut quiſquam alius, qui ordini Senatorio, Sacramento non eſſet devinctus, Patrum ſententiis ac deliberationibus intereſſet: quippe cum hoc peſſimi eſſet exempli, multaque mala inde naſci poſſent: deinde, quoddam genus erat violentiæ metum creare judicibus quo minus libere ſententiam ferrent: idque ab officio & honeſtate juſtitiæ prorſus abhorrere videbatur.

„ Porro, Conſiliarii delegati à Patribus, ſtatim atque à Curia Principis redierunt, moram & cunctationem Senatus in promulgandis Concordatis, utcumque Regi probatam fuiſſe narrarunt: ſed illum de nonullis Senatoribus graviter conqueſtum, dixiſſe ſe optime ſcire aliquos viros Senatorios magnæ probitatis & integritatis; alios autem permultos fatuos eſſe; ac turbam quandam fatuorum ſibi notiſſimam in more habere,

de

de se, & domus regiæ sumptibus quotidie confabulari: se quidem Regem, nec minoris esse auctoritatis quam majores suos: daturumque operam sedulam, quo universi dicto regio audientes essent: meminisse debere nonnullorum, quos Ludovicus XII. ideo regno amandarat, quod ejus Imperium detrectassent, atque unum illorum, qui se negotiis Abbatiæ Sancti Dionysii immerserat, virum fuisse Senatorium: duos autem alios propter quendam Episcopatum Normaniæ, quorum alter vir quoque erat Senatorius. Quod si posthac sibi minus obtemperarent, aliquos Tholosam, & Burdegalam ablegaturum, ac in eorundem locum, nonnullos alios majoris integritatis, quos paratissimos habebat, suffecturum. Velle porro atque imperare, tum ut Sabaudiæ nothus avunculus suus omnia Patrum suffragia audiret, ac generatim & singulatim omnes omnium sententias ad se referret: tum vero, ut Concordata legerentur, & publicarentur in Parlamento: idque certo fore, & similiter nothum Sabaudiæ, quicquid in contrarium anniterentur, Patrum deliberationibus interfuturum.

Quibus à Senatu perpensis, quo tandem regio Mandato parerent, omnibus Parlamenti Decuriis sese Concilium conferentibus, præsente atque inspectante notho Sabaudiæ, XIII. Julii de Concordatis suffra-

„ gari cœptum, & in diem XXIII. Julii con-
„ tinuatum, ac concorditer ſtatutum eſt, Pa-
„ tres nec poſſe, nec unquam debere decer-
„ nere, ut Concordata publicarentur, & in
„ acta referrentur : ſed multo magis, ut ſan-
„ ctio Pragmatica accuratius quam antea, ſi
„ fieri poſſet, ſervaretur : ac dies Pariſienſi
„ Academiæ, & reliquis Galliarum ſcholis
„ audiendis, uti Libello ſupplice à Senatu
„ poſtularent, diceretur. Edictum ſimiliter,
„ ut de abdicatione Pragmaticæ provocaretur
„ ad Concilium. Quod ſi interea dum Rex
„ Concordata ſervari vellet, ei ſupplicandum,
„ & omnino neceſſum eſſe, ut hæc tam ſolen-
„ ni ritu, quam olim Carolus VII. Pragmati-
„ cam ſanctionem probari & recipi curaret,
„ nempe Gallicana Eccleſia legitime congre-
„ gata, cum hoc nominatim ipſis Concorda-
„ tis cautum fuiſſet à Pontifice Romano. In-
„ ſuper univerſus ordo Senatorius, etiam at-
„ que etiam nothum Sabaudiæ rogavit, quo
„ iſthæc omnia ad Regem fideliter referret,
„ ac ingentes ruinas & calamitates, quas Con-
„ cordata, ſi unquam promulgarentur, alla-
„ tura erant, eidem ſigillatim recenſeret.
„ Poſtmodum, cum Rex binis literis quas
„ miſerat ad Senatum, mandaſſet Patribus,
„ quo nonnullos ex ordine Senatorio ad ſe
„ mitterent, & ſibi cauſas evolverent quibus
„ Senatus à Concordatorum promulgatione
„ abduceretur : Magiſtri Andræas Verius, &
Fran-

Franciſcus de Loines Conſiliarii Parlamenti, ad hoc munus obeundum ſelecti, retulerunt, ſe XIII. Januarii Amboſiam, ubi tum Princeps degebat, appuliſſe; & die XIV. Januarii matutino tempore, Cancellarium cum literis Parlamenti inviſiſſe, eumque ſibi inter alia nominatim dixiſſe, quod compertum haberet, Senatum Epiſtolam ad Magnum Franciæ magiſtrum mittere, quare illum adirent: & eam ob rem ſe continuo in Caſtellum Amboſiacum ad Magnum Franciæ magiſtrum contuliſſe, eique literas Patrum obtuliſſe, quibus ab eodem perlectis, hunc narraſſe ſuum adventum in Curiam, pridie ejus diei ſibi innotuiſſe, eumque Regi ſignificaſſe, Regem vero, ſe eos tam diu cunctatione fatigaturum reſpondiſſe, quamdiu expediendis Concordatis moram injecerant: nihilominus, denuo cum Principe illa de re acturum, ejuſque voluntatem patefacturum: ſequenti autem die, qui erat XV. Januarii, Magnum Magiſtrum ſibi retuliſſe, Regem exiſtimare negotium propter quod miſſi fuerant à Senatu, tanti eſſe ponderis, ut de illo cum aliquot Senatoribus aliorum Parlamentorum communicare vellet: quare opus eſſe ut ſummam facerent omnium rationum, quibus Parlamentum à Concordatorum publicatione avocabatur, eaſque ſcripto darent, & tum demum Regem eos auditurum. Cui

Man-

„ Mandato ut obtemperarent, ſe confeſtim „ omnes Patrum ſuaſiones exſcripſiſſe, ac ma- „ gno Magiſtro Franciæ dediſſe, illumque „ obnixe rogaſſe, ut ſibi aditum ad Regem „ inſtrueret, quo ei literas Senatus offerrent. „ Cum autem nihil reliqui feciſſent quo audi- „ rentur & expedirentur, verumtamen omni „ adhibita diligentia nunquam in Regis con- „ ſpectum venire potuiſſe, ante ultimam diem „ Februarii, quo quidem die ſibi imperatum „ fuit, ut ſtatim poſt Regis prandium ſe in „ camera regia ſiſterent.

„ Poſtquam autem Rex in Cameram arca- „ norum ſeceſſit, continuo juſſiſſe ut accerſe- „ rentur & tum ei literas Patrum obtuliſſe, „ iiſque perlectis, petiiſſe, an præter ea quæ „ exſcripta dederant, quidpiam aliud à Sena- „ tu dicendum haberent, ſe quidem ad amuſ- „ ſim omnia rationum momenta, quibus Par- „ lamentum movebatur, cum argumentis, „ quæ ſuus Cancellarius de Mandato ſuo con- „ tra inſtruxerat, enucleaſſe: ad hæc Principi „ reſpondiſſe, ſe percupere videre, ſi modo ei „ ita luberet, quæ Cancellarius contra ſuaſio- „ nes Parlamenti ſcripſerat: tumque Princi- „ pem dixiſſe, nolle ut hic litigatio verbalis „ texeretur: ſufficere, quod ea omnia ſtricte, „ accurateque expendiſſet, quæ nomine Se- „ natus exſcripta dediſſent: atque iterato po- „ ſtulaſſe, aliquidne aliud proponendum ha- „ berent: Reſpondiſſe autem, ſe quidem

præ-

præcipuas rationes quibus Patres movebantur, ex ſcripto dediſſe, nihilominus illas, ſi modo ita vellet juberetque coram narraturos : inſuper, formam & ordinem juſtitiæ flagitare ut eorum copiam haberent, quæ Cancellarius, pro labefactandis ſuaſionibus Parlamenti meditatus fuerat, quo ſi res poſtularet, illa infirmarent, quemadmodum ipſe Cancellarius ex animi ſui ſententia Patrum argumenta oppugnaverat. Tum Regem dixiſſe, centum eſſe homines in Parlamento, qui ampliore quam ſeptem menſium intervallo, Concordatis lebefactandis ſtuduerant, ſuum porro Cancellarium, breviſſimo temporis ſpatio, omnibus Patrum ſuaſionibus ſatisfeciſſe : Regemque iteraſſe, litem verbalem hic inſtrui nolle : Deinde, gravi permotum iracundia dixiſſe, non paſſurum ſe, ut plures unico Reges eſſent in Francia : ſe quidem vehementer laboraſſe, ad conciliandam & comparandam pacem Regno ſuo : nunquam commiſſurum, ut quæ pacta tranſacta fuerant in Italia, irrita fierent in Galliis ; neque etiam ut iſtic, tanquam Venetiis unus eſſet Senatus : de juſtitia adminiſtranda, non de aliis rebus Curiam Parlamenti eſſe debere ſollicitam, interim daturum ſe operam ne regnum Gallicanum in maximum diſcrimen vocaretur, uti Ludovico XII. regnante contigerat : non attinere ad Senatum, rerum ad Reipublicæ

„ blicæ ſtatum atque ordinem ſpectantium
„ ſatagere: velle atque imperare, ut Concor-
„ data publicarentur in Parlamento, alioquin
„ effecturum, ut ordo Senatorius gravius
„ quam unquam antea mœreret: amplius iſt-
„ hæc pronunciaſſe: Vos curam habete juſti-
„ tiæ adminiſtrandæ, quæ centum abhinc
„ annis nunquam pejus aut negligentius ha-
„ buit; & ſe poſthac facturum, ut Parlamen-
„ tum, inſtar magni Conſilii, ſe quocumque
„ iret gentium ſectaretur: Præterea graviter
„ queſtum, quod tres viros Senatorio ordine
„ nuper à ſe donatos, Senatus admittere de-
„ trectaſſet, velle autem ut admitterentur:
„ neque dehinc unquam commiſſurum, ut
„ ulli Clerici in album Conſiliariorum Parla-
„ menti adſcriberentur, tribus præſertim de
„ cauſis: primum quod in animum inducerent
„ ſuum, ſe præterea regiæ auctoritati non eſſe
„ ſubditos, neque Regem Eccleſiaſticos au-
„ dere capite multare. Tum vero, quod E-
„ piſcopatus, aliaque beneficia majoris pro-
„ ventus, quam trecentarum aut quadringen-
„ tarum librarum ſtipendia, quæ annuatim ex
„ ſuo magiſtratu perciebant, ambitu & pren-
„ ſationibus conſequi niterentur. Tertio, quia
„ divinis precationibus & officiis recitandis
„ occupati, quæ ſui erant muneris prorſus de-
„ ſererent. Ad hæc Principi reſpondiſſe, ve-
„ teri inſtituto, & prima ipſius Parlamenti
„ fundatione, Clericos & Laicos atque in or-
„ dinem

dinem Senatorium admitti: ſed Principem " ut antea excandeſcendo dixiſſe: Reges ita " quidem ſtatuiſſe, ſe vero regia etiam aucto- " ritate præditum, ac proinde ea poſſe anti- " quare, quæ à majoribus ſuis conſtituta fuiſ- " ſent; iratiſſimumque hæc verba habuiſſe, " abite, & craſtina die certo diſcedite: Rege " autem ſurgente & abeunte, ſe dixiſſe cun- " ctum Senatum ex Dei & conſcientiæ ſuæ " præſcripto de Concordatis ſtatuiſſe: & ni- " nihilominus Regem perſeverando in ſen- " tentia, juſſiſſe ut abirent, ac die craſtina " ſummo mane diſcederent. Quamprimum " vero in ſuum diverſorium veniſſent, non- " nullos viros qui magnæ erant auctoritatis " apud Principem, ſibi per internuncium ſi- " gnificaſſe, ut ſuum accelerarent deceſſum, " ne quid infortunii (quod moleſtiſſime fer- " rent) ſibi contingeret: cumque propter " aquarum inundationes iter perdifficile & " periculoſum eſſet, ſe ad Magnum Franciæ " Magiſtrum miſiſſe ut aliquam moram ſuo " itineri commode faciendo neceſſarium à Re- " ge impetraret; hunc vero reſpondiſſe, niſi " die craſtina ante horam ſextam matutinam " diſcederent, Conſtitutum eſſe Principi, " duodecim ex corporis ſui cuſtodibus ad ſe " mittere, qui ſe in profundiſſimum carcerem " compingerent: atque amplius Principem " dixiſſe, ubi per ſex menſes in vinculis de- " tenti fuiſſent, tum demum viſurum, qui- "
nam

„ nam ſuæ cauſæ patrocinari auderent.
„ Die XV. Martii M. D. XVII. Dominus à
„ Trimolia eques torquatus, primus Franciæ
„ Camerarius, venit in Senatum cum literis
„ fiduciæ: ſuamque fiduciam in hunc modum
„ expoſuit. Regem ſibi Provinciam audeun-
„ dæ Curiæ Parlamenti dediſſe propter Con-
„ cordatorum publicationem: neque ea latere
„ Senatum, quæ Cancellarius, rege ſedente
„ in Parlamento, ſuperiore anno expoſuerat,
„ & quamobrem neceſſum fuiſſet cum Roma-
„ no Pontifice Concordata ſarcire: tum enim
„ Cancellarium ſigillatim recenſuiſſe graves
„ atque ingentes negotiorum moles quæ qua-
„ driennio aut quinquennio abhinc, Ludo-
„ vico XII. regnante, Gallias univerſas affli-
„ ctarant: cum Helvetii in Burgundiam, An-
„ gli cum auxiliaribus copiis Hiſpanorum in
„ Aquitaniam, Picardiamque invaſerant: quos
„ contra Franciſcum Regem qui hodie im-
„ perat, etiam iviſſe præliatum, & propter
„ diligentiam ſingularem, & ductum exi-
„ mium eo in Bello adhibitum, hoſtes repul-
„ ſos fuiſſe. Franciſcum Regem, à die ſuæ
„ inaugurationis, certiorem factum de Con-
„ fœderationibus quas Romanus Pontifex
„ cum permultis aliis principibus Chriſtianis,
„ ad Gallicum Imperium opprimendum ac
„ diripiendum, connectebat; omni ope ac
„ ſtudio illorum fabricis & conatibus decre-
„ viſſe obſiſtere: atque Helvetios in hoc re-
gnum

gnum irrumpere annitentes, Deo bene favente debellasse: dehinc omnibus rebus accurate subductis, animadvertisse tot ac tantas externorum Principum adversus Francicum Imperium molitiones, nulla alia ratione dissolvi posse, quam si firmam & solidam pacem cum Romano Pontifice sanciret: omni autem via & ratione Romani Pontificis amicitiam redimere studuisse, sed nullis aliis conditionibus quam Concordatorum sanctione id consequi valuisse: quæ Concordata, Principum regii sanguinis, aliorumque virorum illustrium Regni ac judicum magni Consilii suasu & consensione pro Reipublicæ utilitate, & Regni Gallici defensione pacta, & in Synodo Lateranensi roborata ac promulgata fuerant. Quocirca necessum quoque esse, ut à Senatu probarentur & in acta Parlamenti referrentur, quemadmodum Rex sæpe imperaverat: singulis enim ferme binis mensibus Principem super ea re ad Senatum scripsisse, & nihilominus Patres diem de die ducendo, Imperio regio semper parere recusasse: ac Magistros Andræam Verius & Franciscum de Loines misisse Ambosiam ut Principi causas referarent, quibus Senatorius ordo à firmandis & publicandis Concordatis retardaretur: Regem porro, iisdem Magistris Andrææ Verius & de Loines

„ præcepiſſe, ut ſuaſiones Patrum ſcripto „ mandarent, uti revera mandarant: quas ſua- „ ſiones Cancellarius ſcripto etiam labefece- „ rat. Cumque Rex omnia hinc inde inter „ ſeſe contuliſſet, ac cogitate perpendiſſet, „ tum demum cognoviſſe Firmamenta quibus „ Cancellarius ſuus contra ſuaſiones Parla- „ menti nitebatur, multo plus habere pon- „ deris, & publicæ utilitati ſervire, quam „ quæ nomine Senatus à Magiſtris Andrææ „ Verius & Franciſco de Loines propoſita fue- „ rant. Quod autem potiſſime urgebant, Re- „ gnum univerſum pecuniis atque opibus ex- „ hauſtum iri, nullius momenti eſſe, ſi ratio „ habeatur Belli quod cum Romano Ponti- „ fice, & aliis Principibus exteris gerendum „ eſſet: quippe cum in gerendo & ſuſtinendo „ Bello, multo plus damni, periculi, & ſum- „ ptus inſit quam in Annatis perſolvendis. „ Quapropter Princeps imperaverat prædi- „ ctis Verius, & de Loines, ut referrent ad Se- „ natum ſe velle atque jubere ut Concordata „ legerentur, publicarentur, & in acta refer- „ rentur: Sed quoniam reſciverat imperata ſua „ minime curata fuiſſe, mihi, inquit Trimo- „ lia, Provinciam adeundi Parlamenti impo- „ ſuit, ut vobis declararem ſe velle atque ju- „ bere ſine ulla diſceptatione, deliberatio- „ ne, aut rationum contrariarum oppoſitione „ Concordata legi publicari, & in acta redigi: „ præſertim, quod ut ſuarum eſſe partium Se- „ natui

natui tanquam subditis naturalibus imperare; sic vestri officii esse ait, sibi tanquam Domino & Principi naturali morigerari: Addiditque ulterius malle se dimidia regni sui parte abdicari, quam fidei non servatæ propudium pati: nihilque esse in hac mundi universitate quod juxta ambiat ac inviolabilem fidei servatæ constantiam: hancque famam & existimationem se apud omnes Nationes sollicite aucupari dixit: idque unius horæ quadrante decies ad minus iteravit: & nisi Concordata servarentur, de periculosissimo Bello gerendo esse meditandum. Præterea, hoc sibi à Rege nominatim fuisse imperatum asseruit Trimolia, diceret, nisi Senatus Concordata auctoraret, Regem aliquid patraturum, cujus & eum & Patres universos valde in posterum pœniteret: velle insuper, ut quibus diplomata Senatoria dederat, in numerum Senatorum Clericorum, tametsi non essent *in sacris*, referrentur: etenim, se regia auctoritate, (ut majores suos) præditum, ac proinde Laicos aut Clericos Senatores, pro animi sui arbitrio instituere posse ait.

At vero Jacobus Olivarius Princeps Senatus. Trimoliæ respondit; die crastina cunctum Senatum venturum in Concilium, omnibusque à se propositis responsurum, operamque suam regio Mandato obeundo navaturum. Itaque die sequenti XIX. Mar-

„ tii, Patres eundem à Trimolia accersi vo-
„ luerunt, quem idem Princeps Senatus no-
„ mine totius ordinis Senatorii rogavit, ne ad
„ Regem scribere gravaretur, quatenus vi-
„ rum aliquem magnæ auctoritatis mitteret
„ in Senatum, quo majore & solenniore cum
„ ritu, negotium Corcordatorum tractare-
„ tur: & si Regi luberet, nullum ad id magis
„ idoneum fore ipso Cancellario, ut pro-
„ mulgationi Concordatorum, quam Rex
„ fieri imperabat, præesset; hoc enim gravi-
„ tatem & magnitudinem rei propositæ, exi-
„ gere: hacque via Romano Pontifici accu-
„ ratius satisfactum iri: cum præsertim, pu-
„ blicatio Concordatorum longe celebrior
„ futura esset: neque hoc novum aut inaudi-
„ tum videri posse, cum olim Ludovicus XI.
„ in simili negotio Cancellarium suum, cum
„ Comite à Sancto Paulo, qui Comes erat re-
„ gii stabuli, & Domino de Monbrun, misis-
„ set in Parlamentum. Ad hæc, Trimolia ve-
„ reri se ait, ne si Regi jam propter istas cun-
„ ctationes nimium quantum irato aliquid
„ scriberet, multo plus noceret quam prodes-
„ set: & universos Patres, summopere cavere
„ ac timere debere, ne Princeps iratior, quod
„ sæpe alias interminatus fuerat, aliquid mo-
„ liretur, cujus & eum & cunctum ordinem
„ Senatorium deinceps valde pigeret; nemini
„ jam venire posse in dubium, quin Rex æsti-
„ maret, tot ac tantas moras huic impediendo
ne-

negotio de induſtria à Patribus objici: cum " tamen ſtrictiſſime imperaſſet, ne dehinc id " fieret. Inſuper etiam, literas quas recenter " à Rege acceperat, porrexit Senatui, qui- " bus literis Rex Trimoliæ minabatur, niſi " ſua imperata diligenter curaret, nunquam " paſſurum, ut apud ſe in gratiam veniret: " deinde aſſeruit, quandam Provinciam fi- " duciariam ſibi commiſſam eſſe à Principe, " nec ulli ante vulgandam, quam de voluntate " & propoſito Senatus liqueret. Tum Primus " præſes cum Trimoliam obſecraſſet, ne il- " lam ſuam fiduciariam procurationem coram " Senatu reſerare gravaretur; Ille id nullo " modo ſibi licere reſpondit, antequam de " voluntate & reſponſione Patrum omnino " conſtaret: præterea, hoc ejuſmodi eſſe, ut " moleſtiſſime ferret cauſam illius exequendi " ſibi præberi à Senatu, cui ſe obſequii & " amicitiæ neceſſitudine devinctiſſimum eſſe " perhibebat. Quare omnes & ſingulos ve- " hementius rogare & obteſtari cepit, ut Re- " gis imperata celeriter facerent, ac ſibi im- " minentia pericula vitarent: maxime autem, " quod jam omnibus plus ſatis compertum eſ- " ſet, Senatorium ordinem omnia ſtrenue " præſtitiſſe quæ ſui erant officii, & nihil re- " liqui habere, quo publicationem Concor- " datorum impediret. "

Quocirca, omnibus Decuriis Parlamen- " ti una congregatis, cum Patres ad iſtas in- "

„ gentes minas & territationes in quibus
„ Princeps firmiter continuabat, attende-
„ rent, reputarent quoque, si diutius regiæ
„ voluntati adversarentur, futurum ut Parla-
„ mentum exscinderetur, idque decursu
„ temporis toti Regno Gallicano, Justitiæ,
„ omnibusque regni subditis, tam genera-
„ tim quam privatim certissimam ruinam cre-
„ aturum: cum insuper, periculum omnibus
„ & singulis Senatoribus impendens extime-
„ scerent, & valde timerent ne si forte bel-
„ lum aliquod inter Regem & Romanum
„ Pontificem exardesceret, ejus mali causa
„ Patribus irrogaretur (cum præsertim Rex
„ sæpe causatus fuisset, omnem Regni sui,
„ & Principatuum suorum Italicorum tran-
„ quillitatem ac securitatem ab una Concor-
„ datorum publicatione pendere) similiter
„ formidarent, ne fœdera inita vel ineunda à
„ Rege cum aliis Principibus Christianis
„ impedirentur: Tum demum, postquam
„ omnia tentarunt quæ publicationi Con-
„ cordatorum obsistere poterant, coram &
„ præsente Episcopo Lingonensi Pari Fran-
„ ciæ, illustri & authentica persona, tam ge-
„ neratim quam speciatim, divisim quam
„ conjunctim, obtestati sunt atque obtestan-
„ tur, se suæ spontis non esse, & in causa
„ Concordatorum libere sententiam ferre
„ non posse: ac proinde si quæ illorum reci-
„ tatio, aut publicatio fieret in Senatu, id
ne-

neque suffragiis, neque voluntate, neque "
consensu, aut Decreto Patrum, sed solo "
Regis Imperio, & violentia paulo ante ex- "
plicata committi. Demum Curiam Parla- "
menti nunquam censuisse ut Concordata "
firmarentur, grata haberentur, aut aliquem "
sortirentur effectum: neque etiam ut Se- "
natorius ordo, vel Judices ordinarii, de li- "
tibus & causis inde manantibus cognosce- "
rent aut judicarent: imo vero hoc unum "
semper in votis habuisse, & maximopere "
contendisse, ut sacrosancta Conciliorum "
Decreta, & sanctio Pragmatica exactissi- "
me, & integerrime observantur, uti ante "
Concordatorum institutionem & publica- "
tionem servari consueverant: percupere "
similiter, intendere, ac decernere, ut Se- "
natusconsultum factum XXIV. Julii M.D. "
XVI. plenum atque integrum adipiscere- "
tur effectum, utque istiusmodi Concorda- "
datorum evulgatione, nihil quicquam ei "
detraheretur aut derogaretur. "

Deinde, quia Senatus pro rato & com- "
perto habet, Congregationem, quam La- "
teranense Concilium vocitant, omni ope "
ac studio moliri, quo sanctionem Pragma- "
ticam, & Decreta in ea contenta exaucto- "
ret: certumque est Cognitorem regium, "
statim atque ista sanctionis Pragmacicæ a- "
brogatio illi innotuit, tum suo, tum Sena- "
tus, & omnium Gallorum nomine, de illa "

„ antiquatione ad Concilium provocasse: „ idem Senatus amplius adhærendo prædi- „ ctæ appellationi, & in ea constanter perse- „ verando, iterum provocavit, & quantum „ opus est de integro provocat, propter cau- „ sas & rationes in actis prædictæ appellatio- „ nis fuse expressas: *Ad Papam melius consul-* „ *tum, & futurum Concilium Generale legitime* „ *congregandum, & ad illum, vel ad illos, ad* „ *quem seu ad quos, petendo Apostolos instanter,* „ *instantius & instantissime*, à Domino Mi- „ chaële Boudet, Episcopo & Duce Lingo- „ nensi, & Franciæ Pari, qui tum præsens ade- „ rat Parlamento: *Quos quidem Apostolos,* „ *dictus Episcopus Lingonensis, ad honorem Dei* „ *omnipotentis, pro Ecclesiæ Gallicanæ Regni ac* „ *reipublicæ præsidio, & conservatione, concessit* „ *reverentiales, & quales de jure pro remedio op-* „ *portuno, secundum temporis necessitatem, con-* „ *cedere potest & debet*

„ Præterea, cunctus Senatus acta & instru- „ menta authentica rerum ante memorata- „ rum fieri, eaque à Magistris Nicolao Pi- „ chon causarum civilium, Antonio Roberto „ rerum capitalium, Joanne Beldon præsen- „ tationum Graffariis: Joanne le Camus, Jo- „ anne Parent, Joanne de Bagnolles, & Gail- „ lardo Burdelot, quatuor Notariis Curiæ „ Parlamenti tum præsentibus, postulavit, „ atque postulat: Declaravitque, se nec vel- „ le nec unquam intendere, propter quæcum- „

que

que acta, quæ dehinc faciet aut facere poſſet, à ſupradictis obteſtationibus & appellationibus deſciſcere; ſed percupere ut in ſingulis actis, quæ in poſterum ſigillatim fient in Senatu, pro iteratis, & ad verbum expreſſis habeantur. Datum in Curia Parlamenti, XIX. Martii M. D. XVII.

Nos Graffarii & Notarii Curiæ Parlamenti infra nominati, notum ac certum facimus, ſuaſiones, obteſtationes, & appellationes ſupra memoratas, fuiſſe habitas, recitatas, & declaratas ab univerſo Senatu, omnibus Decuriis Parlamenti congregatis: atque etiam ſummam rerum prædictarum, ſcripto traditam & depoſitam inter manus noſtras ab eodem Senatu, die ſupra memorato, XIX. Martii M. D. XVII. In cujus rei fidem, proque acto & inſtrumento, præſentes ſuaſiones, obnunciationes, & appellationes, manu & ſyngraphis propriis obſignandas duximus, die jam dicta XIX. Martii M. D. XVII. ſic ſignatum *Parent. Robert, Beldon, de Bagnolles, Burdelot.*

At vero, quia die Lunæ proxime lapſa, quæ XXII. erat Martii M. D. XII. Concordata lecta & publicata fuerunt in Curia Parlamenti, præſente Domino à Trimolia: omnes Decuriæ Parlamenti, die XXIV. Martii ejuſdem anni M. D. XVII. ante Paſcha, iterum coiverunt in Concilium, cunctuſque Senatus de integro, coram Magi-

„ ſtris Nicolao Pichon civilium cauſarum „ Graffario, Joanne le Camus, Joanne Parent, & Joanne de Bagnolles Notariis paulo ante nominatis, declaravit, & obteſtatus eſt, ſe nullo modo probare vel auctorare publicationem, & recitationem Concordatorum factam in Senatu: Imo vero, obteſtationes & appellationes ante editas iterare, atque eis adhærendo iterum atque iterum provocare, *petendo Apoſtolos*, ab Epiſcopo & Duce Lingonenſi Pari Franciæ, qui tum intererat Senatui: quare Apoſtolos ſimiles prioribus conceſſit. Inſuper vero, Patres declararunt, ob quæcumque acta, quæ dehinc facient aut facere poſſent, nolle unquam à ſupra memoratis obteſtationibus, & provocationibus diſcedere: quinimo, in omnibus & ſingulis actis, quæ poſthac in Senatu privatim fient, velle iſtiuſmodi obteſtationes, & appellationes pro iteratis & nominatim expreſſis haberi. Quarum omnium ſuaſionum, obteſtationum, & declarationum, Senatus actum atque inſtrumentum ſivi fieri poſtulavit à nominatis Graffariis, & Notariis *Pichon*, *le Camus*, *Parent*, *de Bagnolles*, Actum in Senatu, die XXIV. Martii M. D. XVII.

„ Nos Actuarii, & Notarii ſupra memorati, teſtamur res ſupradictas relatas, & declaratas fuiſſe ad verbum, ut hic habentur: atque hujuſmodi obteſtationes, & appellationes,

tiones, factas & interjectas fuisse à cuncto " Senatu, omnibus Cameris in unum con- " gregatis, die XXIV. Martii anno præfato " M. D. XVII. ante Pascha. In cujus rei fi- " dem, proque acto atque instrumento au- " thentico; præsentes propria manu, & syn- " grapha obsignavimus, die prædicta XXIV. " Martii M. D. XVII. ante Pascha. sic Signa- " tum. "

Parent, de Bagnolles.

Cæterum, Magistri Nicolaus Pichon " Scriba causarum Civilium, & Joannes le " Camus Notarius & Secretarius Regius, " atque unus ex quatuor Notariis Parlamen- " ti, præsens actum obsignarunt, eo quod pau- " lo ante confectum negotium Concordato- " rum, è vivis excessissent. Sic Signatum. "

De Bagnolles, Robert, Parent, Burdelot, Beldon.

Lector notabit, has suasiones, obtestationes, & appellationes Curiæ Parlamenti, idiomate Gallico factas, & primum lingua Gallica editas fuisse à Mamerto Patissonio typographo regio: deinde vero, conversas in linguam Latinam, ut omnibus innotesceret, non stetisse per Gallicanam Ecclesiam quo minus disciplina Apostolica & Jus commune redivivum floreret in Ecclesia Catholica.

Ap-

Appellatio Universitatis Parisiensis, r o sacrarum Electionum, & Juris Communis defensione, adversus Concordata Bononiensia, anno Domini M.D.XVII.

„ XIV. UNiversis præsentes literas inspecturis, Rector et Universitas Magistrorum, Doctorum, & Scholarium Parisiis studentium, salutem in Domino.

„ Notum facimus, quod nos apud sanctum Bernardam Parisiis, super infrascriptis & aliis nostris negotiis agendis, per juramentum convocati & congregati, modo & forma contentis in quodam codice papyraceo (cujus tenor inferius describitur, & inseritur) provocavimus, & appellavimus, provocamusque & appellamus; cujus quidem codicis papyrei tenor sequitur, & est talis:

„ Præmissis expresse protestationibus, quod contra unam sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam (quam totius orbis esse Magistram, & obtinere principatum credimus) sanctæque Sedis Apostolicæ auctoritatem, ac sanctissimi Domini nostri Papæ bene consulti potestatem, nihil dicere intendimus, & si quid ex lubrico linguæ forsan male dictum sit, parati emendare. Sed quoniam is qui vices Dei gerit in terris, quem Papam dicimus (quamvis à Deo potestatem im-

immediate habeat) per hanc potestatem " non impeccabilis efficitur, nec potestatem " non peccandi accepit, equidem, si quid " quod injustum est, faciendum esse præceperit, patienter sustinere debet, si non fiat, " quod ei prava fuerit insinuatione suggestum, eique non pareatur, si quid contra " divina præcepta statuendum esse decreverit; nam in hoc ei resisti jure potest. Quod " si illi potentum auxilio, (falsa forsan suggestione, vel minus sano consilio deceptorum) adjuto, resisti non potest, sublataque " sint resistendi remedia, unum tamen Jure " naturali proditum est, quod nullus Princeps tollere potest Appellationis remedium, cum sit quædam defensio, quæ Jure " divino naturali, & humano, cuique competit, quæ non potest auferri à Principe, " *Clement. Pastoralis, de sententia, & re judicata*: notat splendor ille Canonistarum Innocentius, in Cap. *quæ in Ecclesiar. de Constit.* "

Ad hujusmodi ergo appellationis remedium (quo oppressi relevantur) confugientes, NOS RECTOR ET UNIVERSITAS studii Parisiensis, Illustrissimi ac Christianissimi Principis nostri Prancorum Regis filia " primogenita, antiqua studiorum Parens, " vice ac nomine nostris, singulorumque Doctorum, Magistrorum, & scholarium Parisiis studentium, animoque & intentione " provocandi, & appellandi à pressuris & gra- " vami-

„ vaminibus infra ſcriptis; dicimus & propo-
„ nimus, noſque loco & tempore opportunis
„ & congruis probaturos offerimus, quæ ſe-
„ quuntur.
„ In primis, quod cum priſcis illis tempo-
„ ribus, Hæreſes multæ pullularent, pluri-
„ mique errores inſurgerent, & inter Chriſti
„ fideles diſſidia orirentur, Eccleſiaſticique
„ ſtatus deformatio conſpiceretur; fuerunt
„ ſacra generalia Concilia provide ſtatuta, in
„ quibus Hæreſes extirparentur, mores re-
„ formarentur, Chriſticolarum diſſidentium
„ adinvicem reconciliationes fierent, prout
„ ſacrorum generalium Conciliorum incum-
„ bit officio. Et præcipue ante omnia, ſacra
„ Conſtantienſe, & Baſileenſe Concilia, quæ
„ ſucceſſive ac legitime in Spiritu Sancto
„ congregata, Univerſalem Eccleſiam re-
„ præſentantia, quamplurima circa præmiſſa
„ ſtatuerunt: maxime circa ſtatus Eccleſia-
„ ſtici, tam in capite quam in membris, re-
„ formationem, quæ illis diebus præcipue
„ indigere reformatione videbantur: cum
„ deformitates in Eccleſia Dei excreſcere, &
„ mores corruptos eandem Eccleſiam infice-
„ re conſpicerent, ut repreſſis deformitatum
„ ſcelerum regnantium enormitatibus perni-
„ cioſis, quæ per Chriſtianitatem (ſpretis an-
„ tiquorum Patrum decretis, & inſtitutis
„ ſalutaribus) multas clades, multaque diſcri-
„ mina injeciſſe videbantur, divinis honor
re-

refloreret in terris, lumen Catholicæ veritatis, Christo vera luce auxiliante, effulgeret; & Ecclesiasticæ libertatis conservatio subsisteret, populusque Christianus salubriter regeretur, & ad salutem perduceretur æternam.

Et inter cætera, perpendit ipsum sacrum Basileense Concilium, qualiter per sanctos Patres antiquos, sacri Canones, salubriaque Decreta, pro fœlici regimine jam dicti status Ecclesiastici (tam super electionibus, modisque Ministros Ecclesiæ assumendi & instituendi) conditi fuerint: qui quamdiu fuerunt observati, Ecclesia Dei fructus honoris & honestatis, fœlici ubertate produxit; Disciplinæ Ecclesiasticæ vigor perstitit, Religio, Pietas, Charitas ubertim floruerunt, hominesque in quietudine animi constituti, Deum auctorem Pacis, devotissime coluerunt. Sed postquam damnatæ ambitionis improbitas, & detestandæ cupiditatis insatiabilitas, humanitatis jura violando, ipsa sanctorum Patrum Decreta paulatim cœpit deserere, atque contemnere, & in vitia ruere; subsequutæ sunt deformitates status Ecclesiastici, atque decolorationes, & usurpationes; præsertim per Prælaturarum, dignitatumque, & aliorum beneficiorum Reservationes, & Gratiarum (ad vacatura beneficia) expectativarum (à jure exorbitantium) multiplicationes, & in-

„ innumerabiles concessiones, & alia gravissima, & inportabilia onera, quibus Ecclesiæ Ecclesiasticæque personæ graviter afflictæ, & fere ad extremam evacuationem, & destructionem illis diebus ruere conspiciebantur: Cum beneficiorum Ecclesiasticorum patrimonia & bona indigni occupabant, & sæpe dignitates ac beneficia notabilia & opulentiora, personis conferebantur incognitis & indignis; quæ in eisdem beneficiis minime residebant, & animarum cura *quæ est ars artium*, neglecta, velut mercenarii solum temporale lucrum quærebant, sicque cultus minuebatur divinus, animarum cura negligebatur, Ecclesiastica jura peribant, ruebant ædificia, quæ magnificentia extruxerat decessorum.

„ At Clerici, literarum scientiis, & virtutibus effulgentes, qui ad Christianæ plebis ædificationem salutarem vacare possent (quorum perlucida & salutaria documenta, prædictam illustrarent Ecclesiam, decorarent virtutibus, & moribus informarent, per quos quasi per luminosas ardentesque lucernas super candelabrum in domo Domini positas, errorum tenebris profugatis, totius Ecclesiæ corpus, tanquam sydus irradiaret matutinum, eorumque fœcunda facundia, cœlestis irrigui gratia influente, scripturarum ænigmata reserarent, obscura dilucidarent, dubiaque declararent profundisque

ac decoris illorum ſermonibus, ampla ipſius "
Eccleſiæ fabrica, velut gemmis vernanti- "
bus, rutilaret, & verborum elegantia ſin- "
gulari glorioſius ſublimata coruſcaret) qui "
etiam Regnorum, & rerum publicarum "
Conſiliis fierent opportuni: propter ſpem "
congruæ promotionis eis ablatam, divina- "
rum & humanarum ſcientiarum ſtudia de- "
ſerebant. "

Inſuper, Reſervationum & gratiarum "
expectativarum occaſione, captandæ mor- "
tis alienæ votum ingerebatur, lites ſuſci- "
tabantur, contentiones, & rixæ inter "
Chriſti miniſtros oriebantur, ambitio plu- "
ralitatis beneficiorum execrabilis foveba- "
tur, pauperes Clerici, variis & innumeris "
perſonarum & rerum diſcriminibus ſubji- "
ciebantur, & per callidos, & calumnioſos "
opprimebantur: beneficia quoque Eccle- "
ſiaſtica, per litium involutiones & multi- "
plicationes, ſæpius injuſte occupabantur, "
& ſine divinis officiis ſæpius remanebant; "
materia injuſtis vexationibus parabatur, "
abuſus peſtiferi, horrenda & deteſtanda "
ſpecie labis ſimoniacæ reſperſi, committe- "
bantur; juvenibus bonæ indolis, (qui ſtu- "
dioſis actibus intendere deberent) evagandi "
materia præbebatur, & breviter ſtatus Ec- "
cleſiæ confundebatur; plurimaque adverſus "
divina & humana jura in animarum perni- "
ciem, ac Eccleſiæ & regnorum atque Pro- "
 vin-

„ vinciarum (præcipue Regni Franciæ, & „ Delphinatus Viennensium) oppressionem, „ & destructionem, perpetrabantur; quorumque thesauri in extraneas regiones apportabantur, ut eo exhausto, sacerdotioque depresso, regna ipsa, & subditi debiliores in adversis redderetur; Beneficiaque, jam non gratis (juxta Euangelicam doctrinam, Christique præceptum, dicentis *gratis accepistis. gratis date*; & contra Concilium Lateranense, præcipiens ut pro conferendis, sive collatis Ecclesiasticis beneficiis, nemo aliquid quocumque prætextu exigere ac extorquere præsumat) sed cum summa ambitione, & avaritia, aurique & argenti exactione, conferebantur.

„ His igitur tam detestabilibus incommodis, divinæ proculdubio displicentibus voluntati, saluberrime providere cupiens Concilium Basileense memoratum, contra hæc, saluberrima constituit & edidit Statuta & Decreta: volens & ordinans, ut tales Ecclesiæ præficerentur Pastores, qui tanquam columnæ & bases, ipsam Ecclesiam doctrina & meritis firmiter sustentarent, non quidem per Reservationes generales Ecclesiarum ejusmodi, sed per Electiones, & Confirmationes Canonicas (juxta Juris communis dispositionem) Ecclesiis ipsis Metropolitanis, Cathedralibus, Monasteriis, Collegiatis Ecclesiis, & dignitatibus

tibus electivis vacantibus, debite provideretur; Reſervationes generales hujuſmodi reprobando (certis duntaxat exceptis) & certam ſalutarem formam, antiquis formis à jure introductis, adjiciendo.

Et inſuper, ut per ſingulas Eccleſias miniſtri inſtituerentur idonei (qui ſcientiis & virtutibus effulgerent) ad Chriſti gloriam, & populi Chriſtiani ſalutarem ædificationem (reprobando multitudinem Gratiarum expectativarum, quæ digniorum miniſtrorum inſtitutioni & promotioni obviabat) Reſervationes quaſcumque beneficiorum (ſive per Papam, ſive per Legatos) reprobavit, nullaſque & invalidas declaravit.

Voluit inſuper & ſtatuit, ut per Prælatos, & eos ad quos beneficiorum collatio & diſpoſitio ſpectare dignoſcitur, viris ſtudioſis, certiſque qualitatibus ſpecificatis prædictis (qui per Univerſitates generalium ſtudiorum eiſdem Prælatis & Patronis nominarentur) Canonice provideretur, certis modificationibus, & Decreto irritante adjectis.

Præterea, ut fraterna charitas in Clero & Populo vigeret, & ne quis proximum ſuum indebitis vexationibus opprimeret, ſed juſtitia, ordine debito, cuilibet miniſtraretur, ad obviandum infinitis abuſibus, & variis incommodis quæ inoleverant; ſtatuit, pro ſalute & quiete ſubditorum, juſti-

„ tia partibus cum honeſtate & facilitate mi-
„ niſtraretur, ne ſtudioſi, & alii ſubditi, ex-
„ tra Regna & Provincias ſuas, ad Curiam
„ Romanam traherentur, & citarentur, ne
„ etiam per hoc, hujuſmodi Regnorum &
„ Provinciarum facultates exhaurirentur.
„ Damnavit inſper hujuſmodi ſacrum Con-
„ cilium, abuſum illum jam damnatum de
„ ANNATIS ſolvendis, ſalutifere prohibens
„ illarum exactionem & ſolutionem: multa-
„ que alia ſancta & ſalubria ſtatuit idem Con-
„ cilium, ad divini cultus augmentum, ac
„ ſalutem, & quietem ſubditorum, quæ o-
„ mnibus innoteſcunt.
„ Quæ quidem ſtatuta, Sereniſſimus ille
„ Princeps divini nominis & Eccleſiaſtici ho-
„ noris exaltor devotiſſimus, & conſervator
„ excellens CAROLUS VII. Francorum Rex,
„ in ſuo celebri Concilio Eccleſiæ Gallicanæ
„ Bituris celebrato, recenſeri fecit; & ea ſic
„ ſalutifera, & ſuo regno ac Delphinatui uti-
„ liſſima, ſaluti & quieti ſubditorum conſu-
„ lendo, inconcuſſe ſervari præcepit, & per
„ Regnum & Delphinatum promulgari fecit,
„ prout conſervata & obſervata fuerunt: Et
„ ex eorum obſervantia, cultus perſevera-
„ vit divinus, ſalus advenit ſubditorum, o-
„ mniaque in eiſdem regno & Delphinatu
„ proſpere ſucceſſerunt.
„ Sed Romani, propriis cupiditatibus &
„ commoditatibus inhiantes attendentes his
mediis

mediis aurum & argentum (ſicut antea) ex "
dictis Regno & Delphinatu ad ſe pro voto "
non deferri; hujuſmodi ſtatutis inviden- "
tes, ea per Romanos Pontifices abrogari "
facere ſtuduerunt, quod auxiliante Domi- "
no hactenus prohibitum extitit, donec ad- "
venit Dominus Leo PP. X. qui Romanis "
plus debito favens in quodam cœtu, in Ro- "
mana Civitate, quæ contra nos eſt, neſci- "
mus qualiter, non tamen in Spiritu Domini "
congregato (cum quo nihil contra legem "
divinam, & ſacra Concilia ſtatui, decerni, "
aut ordinari poteſt: *Opera enim quæ ego facio* "
teſtimonium perhibent de me) præmiſſa tum "
ſalutifera ſtatuta abroganda eſſe (neſcimus "
quo fretus conſilio) cenſuit, & contra fi- "
dem Catholicam, & auctoritatem ſacro- "
rum generalium Conciliorum veniendo, ſa- "
crum Baſileenſe Concilium damnavit: in "
quo inter cætera judicatum eſt glorioſam "
virginem Mariam, ſine peccato originali "
fuiſſe conceptam; nec de illo habet Eccle- "
ſia aliam deciſionem. "

Quædam alia ſtatuta pro libito voluntatis "
(cum venia dictum ſit) condendo in perni- "
ciem Regni, & Delphinatus prædictorum, "
& ſubditorum illuſtriſſimi Principes noſtri "
Franciæ Regis detrimentum: per hoc e- "
nim, Canonicas electiones (quibus ſancte "
& ſalubriter Eccleſiis Metropolitanis, Ca- "
thedralibus, Monaſteriis, & aliis Colle- "

 giatis

„ giatis Ecclesiis eorumdem Regni & Del-
„ phinatus providebatur) destruxit : hujus-
„ modi Ecclesiarum provisiones cum vacave-
„ rint , sibi reservando : collationesque &
„ impetrationes beneficiorum (*non expresso ve-*
„ *ro valore)* irritas esse declarando ; subditos
„ regni, in prima instantia per Cardinales &
„ Curiales Sedis Apostolicæ, passim vocan-
„ do ; & nominationes Universitatum , in
„ parte reprobando , & damnando. Ita ut
„ à modo si talia statuta tolerarentur, non
„ his quibus virtutum merita, & literarum
„ scientia , sed quibus pecuniarum acer-
„ vus, & potentum favores suffraga bun-
„ tur , ad ipsarum Ecclesiarum , non dici-
„ mus regimen, sed proh dolor ! perniciem
„ & ruinam , assumentur : cum hujusmodi
„ personarum mores & vita, non perscruta-
„ buntur , indigni sæpius ad regimen assu-
„ mentur animarum , contra sacri generalis
„ Basileensis Concilii salutiferum statutum ;
„ recte judicans, nihil esse quod Ecclesiæ Dei
„ magis officiat, quam quod indigni assuman-
„ tur Prælati ad regimen animarum : & pro-
„ pterea statuens , ut is ad quem pertinet ele-
„ ctionis confirmatio, processum electionis
„ faciat, & electi personam diligenter exami-
„ net, antequam eidem electo munus confir-
„ mationis impendat, pœnam contra facien-
„ tibus imponens.
„ Per hæc etiam & alia, quæ idem Domi-
nus

nus Leo ſtatuendo decrevit, viris ſtudioſis, & literarum ſcientia pollentibus, ſpem promotionis ademit, & aptiſſimum modum facultates & ſuſtantiam totius Regni & Delphinatus exhauriendi invenit; quo etiam hujuſmodi Regni & Delphinatus ſubditi, improbis machinationibus ad Curiam Romanam evocentur, & indebitis vexationibus fatigentur.

Hujuſmodique ſic noviter editis ſtatutis, jam dictus Dominus Leo PP. Sereniſſimum Principem noſtrum Franciſcum Regem modernum, in partibus Italicis agentem, in maximo ſtrepitu armorum, conſenſum præbere, quorundam ſuaſu coëgit. Et ne promiſſionis infractor idem Princeps illuſtris videretur, jam dicti Domini Papæ monitis obtemperans, hæc quæ dicta ſunt, de novo edita ſtatuta, (quæ CONCORDATA vocantur) ruinam Eccleſiæ totiuſque Regni inde imminentem non attendens, nobis, dictaque Univerſitate, & aliis quorum intererat, non vocatis, nec auditis, publicanda eſſe imperavit: non dijudicans quam ei, dictoque Regno, & Delphinatui, ac ſubditis pernicioſa eſſe viderentur.

Ex quibus, NOS RECTOR, ET UNIVERSITAS, gravatos, læſoſque, & oppreſſos eſſe ſentientes, cum per ea ad ſuperius enarrata incommoda ſenſim deveniri poſſe proſpiciamus; idcirco, à DOMINO NOSTRO

,, PAPA non recte consulto, & jam dicti sacri
„ Basileensis Concilii, & ei adhærentis PRA-
„ GMATICÆ SANCTIONIS statutorum abroga-
„ tione, novorum statutorum editione, consen-
„ sus præstatione, ac attentata illorum quadam
„ publicatione, & omnibus inde sequutis &
„ sequuturis (tam pro nobis, quam omnibus
„ & singulis suppositis ipsius Universitatis, &
„ nobis, ac illi adhærentibus, & adhærere
„ volentibus) ad futurum Concilium legitime
„ ac in loco tuto, & quem libere, & cum se-
„ curitate (nos eadem Universitas, vel à no-
„ bis & ab ea deputandi) adire poterimus: &
„ ad illum vel ad illos, ad quem seu ad quos de
„ jure, privilegio, consuetudine, vel alias
„ nobis provocare & appellare licet, provo-
„ cavimus & appellavimus, prout in his scri-
„ ptis provocamus & appellamus instanter,
„ instantius, & instantissime: protestantes,
„ *hanc appellationem prosequi per viam nullitatis,*
„ *abusus, iniquitatis, vel injustitiæ:* & alias,
„ prout melius poterimus, optione nobis re-
„ servata (astantibus in testimonium vocatis)
„ addendi, diminuendi, mutandi, corri-
„ gendi, & in melius reformandi, omnique
„ alio juris beneficio, nobis ac nostris adhæ-
„ rentibus, & adhærere volentibus, semper
„ salvo.

„ Datum & actum Parisiis, in nostra Con-
„ gregatione generali, apud Sanctum Ber-
„ nardum solemniter celebrata, anno Domi-

ni

ni M. D. XVII. die XXVII. menſis Martii "
ante Paſcha. "

Poſtmodum vero, præinſerta appella- "
tione ſi interjecta, die I. menſis Aprilis, vir "
venerabilis Magiſter Arnulphus Monnart "
in artibus Magiſter, & in Jure Civili Licen- "
tiatus, noſter Procurator generalis, & ad "
hoc ſpecialiter conſtitutus, coram venera- "
bili circumſpecto viro Magiſtro GULIELMO "
HUC utriuſque juris Licentiato, inſignis "
Eccleſiæ Pariſienſis Decano, tanquam co- "
ram perſona authentica, & in dignitate "
conſtituta, perſonaliter comparens, cum "
illum ſeu illos, ad quem ſeu ad quos appel- "
lamus, adire non poſſimus, hujuſmodi Ap- "
pellationem, & contenta in ea, nomine no- "
ſtro, & pro nobis intimavit, inſinuavit, & na- "
tificavit: Apoſtolos, cum inſtantia debita ſibi "
dari petiit, & requiſivit. Qui quidem Domi- "
nus Decanus, cum reverentia & honore de- "
bitis, eidem Appellationi reverenter detulit, "
& Apoſtolos reverentiales, & tales quales "
de jure, & conſuetudine, vel privilegio "
dare poterat & dedebat, dedit & conceſ- "
ſit. "

Acta fuerunt hæc ultimo dicta & facta, in "
Eccleſia Pariſienſi, anno & die prædictis, "
præſentibus ibidem venerabili & ſcientifico "
viro Magiſtro Petro de Valle in Theologia "
Doctore, Canonico dictæ Eccleſiæ Pari- "
ſienſis, & Magiſtro Arturo Alouff in arti- "

„ bus Magiſtro, teſtibus ad præmiſſa vocatis
„ & rogatis.
„ Sic ſignatum LE ROUX, ET HUBERT,
„ & ſigillata in duplici cauda & cera rubea,
„ magno ſigillo dictæ Univerſitatis.
„ *Hæc Appellatio Univerſitatis Pariſienſ. ope*
„ *antiquiorum exemplorum, mendis innumeris*
„ *quibus ſcatebat expurgata & ſuo nitori reſtitu-*
„ *ta eſt.*

CAPUT V.

I. ***Hiſtoria rerum memorabilium quæ abrogationem ſacrarum electionum in Galliis totaque Europa ſequuta ſunt.***

II. ***Lutherus eodem anno quo Concordata vulgantur, quæſtum turpiſſimum indulgentiarum acriter reprehendit.***

III. ***Adriani VI. PP. Epiſtola ad Principes Germaniæ de neceſſitate Eccleſiæ reformandæ in Capite & in membris.***

IV. ***Concilium novem virorum aut Selectorum Cardinalium de Eccleſia in Capite & in membris Reformanda juſſu Pauli III. editum: quod fuit tanquam Synodis Tridentinæ proœmium.***

V. ***Hæreſi Lutherana invaleſcente Rex Franciſcus Pariſienſes Theologos conſulit de via & ratione comprimendæ Hæreſeos: Item ſuper Articulis Melanchtonis, quos Germaniæ Principes ad Galliæ Regem miſerant.***

VI. ***Articuli Theologorum Pariſienſium contra Doctrinam Lutheri Edicto Franciſci I. vulgantur in Galliis.***

VII. ***Hiſtoria Concilii Tridentini & de Eccleſiæ Reformatione ibidem compacta.***

VIII. ***Andreæ Maſii pia querimonia de præſenti Conditione & ſtatu Eccleſiæ.***

IX. ***Utrum Doctores Catholici propter hodierna Schiſmata & Cenſuras ſilere ac neceſſitatem Eccleſiæ Reformandæ tegere teneantur.***

Pro

I. PRo Coronide actionum Parlamenti & Parisiensis Academiæ in negotio Sanctionis pragmaticæ, rescire opus est: quamdiu sacræ electiones floruerunt in Galliis tandiu & Regno & Regibus omnia fausta atque prospera contigisse. Contra vero post pragmaticæ antiquationem, infelicia velut ex intimo Pandoræ sinu effusa, undequaque ingruisse. Profecto sicut posterioris generis exempla in Francisco Valesio: sic prioris in B. Ludovico & Carolo VII. nobis large suppetunt.

Enimvero cum temporis progressu sacræ electiones ab Apostolis & Ecclesiæ primitivæ Patribus propagatæ servari desiissent in Galliis, eos S. Ludovicus sua pragmatica sanctione in integrum restituit, quas deinde Curia Romana cum Avinione sederet penitus abrogavit: tumque demum Carolus VII. qui circa annum M. CCCC XXII. Regni capessit gubernacula omni studio redivivas excitavit: quocirca magnis est à Deo cumulatus beneficiis: Anglos enim non modo Belsia, Campania. Picardia, Lutetia, atque aliis urbibus, quas Burgundionum factionibus invaserant, sed etiam tota Normania, quam per triginta, & Aquitania quam per ducentos ferme annos ocoupaverant unius anni decursu, non absque manifesto Dei numine, & auxilio fugavit: Adeo quidem ut Carolus tot tantasque Provincias à bellicosissima

ſima gente occupatas, non tam armis ſubigere, quam velut in altiſſima pace ſui oblectandi gratia perluſtrare crederetur.

Hiſtoriæ memorant, poſt Canones Synodi Conſtantienſis & Baſileenſis miſſos in rem judicatam à Gallis, multos Epiſcopos Galliæ ſacris electionibus inauguratos, tam ſuperſtites quam mortuos claruiſſe miraculis: quos inter Joannem Michaëlem Andinum Epiſcopum; & virum nobiliſſimum Ludovicum Alemanum Epiſcopum Arelatenſem numerant: Hic autem, ut doctor privatus, Theologiæ Piſano & Conſtantienſi Concilio interfuit: Deinde à Martino quinto creatus Cardinalis, poſtea in Synodo Baſileenſi ex præſcripto XVII. Seſſionis factus Præſes Concilii, deſiderio recuperandæ & melius emendandæ diſciplinæ Eccleſiaſticæ, permultos exantlavit labores. Hercle antequam Æneas Sylvius ad partes Curiæ Romanæ tranſmigraſſet, Cardinalem Arelatenſem divinis in cœlum extulit laudibus atque ringente invidia, nemo illius vitæ integritatem & ſanctimoniam in dubium unquam revocavit.

Ferunt Ludovicam Sabaudam Franciſci Regis Matrem cum nullos ex ſuo corpore liberos procreare poſſet, ſingulari veneratione erga B. Franciſcum de Paula Fundatorem Ordinis Minimorum propenſam fuiſſe: atque hujus ſanctiſſimi viri precibus filium à Deo impe-

impetrasse, eumque hac de causa Franciscum indigitari voluisse: B. autem Franciscum de Paula pridem antequam è vivis excederet Ludovicæ Sabaudæ prædixisse Franciscum Valesium filium regnaturum in Galliis, cæterosque seculi sui Principes gloria, opibus, & felicitate longe superaturum, si modo ad Ecclesiæ emendationem animum adjungeret. Contra fore infortunatissimum, si Ecclesiæ Reformandæ rationem detractaret. Quæ B. viri monita, si ad res à Francisco gestas referamus, pro divino habebuntur oraculo. Nam ab eo die quo Franciscus Valesius jus sacrarum electionum antiquari passus est, quid non infortuniorum & calamitatum pertulit? Et tamen eo tempore vixdum annum vigesimum ætatis attigerat: neque tam suo quam aliorum ductu atque impulsu pragmaticam spe obtinendæ pacis antiquabat. Nihilominus pace quam se firmissimam habere putabat, nunquam ipse, neque tota ejus progenies potiri valuit: & cunctas Italiæ Dynastias quas præter cætera retinere ambiebat, funditus perdidit. At Leo X. qui adlactandæ juvenilis ætatis Francisci, eidem totius Imperium pollicebatur: Jamque per Anticipationem vanum Constantinopolitani Imperii titulum conferre gestiebat: ubi Concordata ex animi sui arbitro bene constituta vidit in Galliis, Francisco turpissime deserto Carolum Hispaniæ Regem ad Germanicum evexit

evexit Imperium, contraque Gallos armavit. Unde illa nostris luctuosissima Papiensis Clades Anno Domini 1525. Die XXV. Februarii Sacro B. Matthiæ: in quo deligendo Apostoli jus sacrarum electionum primitus consecrarant, Sanctumque Matthiam cum B. Stephano protomartyre, juris hujus Sacrosancti vindices ac tutelares Cap. I. & VI. Actorum constituerant.

Observatum quidem universos Francisci Liberos & Nepotes, quanquam frequentes corpore quidem & animo strenuos, vix tamen à die promulgationis Concordatorum sex & sexaginta annos in Galliarum Regno perennasse, florentique ætate omnes raptos fuisse: Atque insuper inter alios Franciscum Delphinum hausto venenato poculo die tertia Augusti sacra inventioni S. Stephani ultimum diem clausisse. Ut hinc discant Principes Christiani, non esse Consilium contra Dominum, frustraque homines *ponere carnem brachium suum*.

Certe Franciscum Regem, cum esset affinis morti, infortuniorum suorum atque odii quo præsertim apud Ordinem Ecclesiasticum flagrabat sibi conscium, Henrico filio Regni Hærede accersito, ei lacrymando præcepisse memorant, ut sacras electiones Ecclesiæ ademptas bona fide restitueret, seduloque in Franciæ Regno servari caveret. Nicolaus Gillius nobilis Gallorum Historicus, qui Ludovico

dovico XII. regnante florebat, refert, sub Francisco I. Ecclesiasticos cura gregis ac puro & simplici vitæ genere quod antea sequebantur relicto, Aulam Regiam, ut gratiam Principis & beneficia pinguiora ab illo redimerent, frequentare, & luxum profusissimum adamare, cœpisse: Hocque pestilens fermentum alios Regni ordines sensim invasisse & contaminasse: cunctasque Regni Provincias ad pertusum aulæ dolium complendum exhausisse. Etenim Pragmatica vigente cum omnes Episcopi, Abbates, aliique prælati suo jugiter excubarent officio, atque annuos beneficiorum suorum proventus in natali solo diœcesium atque Abbatiarum insumerent, & Pauperes totius Provinciæ non modo instaurent: verumetiam multa nova construerent: sub Francisco omnia in luxum aulicum effusa sunt: Cumque uni antea per electiones unicum modo crederetur beneficium: plura & quidem incompatibilia, ut vocant, unius hominis abdomini curando, Bononiensibus Concordatis largita sunt: & Commendæ, certissima tum Ecclesiasticæ cum Monasticæ disciplinæ pestis, ac fundi Ecclesiastici calamitas, in solidum perpetuumque Titulum ad eam quam deplorandam intuemur speciem evectæ sunt. Omitto innumera vectigalia tum excogitata atque imposita necnon etiam nova officia partim ærarii, partim fisci & tribunaliorum judicio-

rum

rum constituta, & vænum exposita ad sumptus aulicos proferendos : atque Ludovici XII. Principis æquissimi atque moderatissimi justitiam, æquanimitatem, ac pietatem erga subditos in dies magis ac magis desiderari: Et Deus bone tanti Italiæ Imperium à Gallis redemptum ! In quo tamen præter sepulchra majorum ac imprudentiæ & infortunii sui monimenta, nihil quicquam hodie possident: Quodque magis dolendum, non Italorum virtutes sed potius vitia & subtiles artes quæstuarias, quæ in mores nostros altissime penetrarunt, inde reportavimus.

Qui annales Ecclesiasticos revolverit, aut nullos aut paucos tam florenti ætate ad Pontificiam dignitatem quam Leonem X. evectos comperiet. Siquidem XXXVI. ætatis anno forma, valetudine, Pontifex renunciatus, octo circiter annis post, in quadragesimo quarto vitæ obiit. Guichardinus Lib. decimo quarto Historiæ memorat, Leonem ubi Gallos ab Hispanis profligatos & Mediolano exclusos accepit, tantis incessisse lætitiis, ut præ nimio gaudio expirarit, de cujus repentina morte Sannazarius Italus hoc evulgavit distichon:

Sacra sub extrema si forte requiritis hora
Cur Leo non potuit sumere, vendiderat.

Proculdubio, ut de aliis Leonis gestis sileamus, Majores nostri sacra vendere appellabant, dare aut conferre beneficia sub certo

&

& condicto pretio, nimirum Annatis persolutis : eamque ob causam omnes Christianæ nationes in Synodo Constantiensi Annatas Simoniacas esse declararunt : ut Sessione XLI. Constantiensi & vigesima prima Synodi Basileensis supra observavimus : Et dehinc Universitas Parisina in Appellatione ad Concilium de Pragmaticæ Sanctionis abrogatione nominatim notavit. Neque vero Curiales hanc petitionem aliter eludunt quam figmentis suæ imaginariæ Monarchiæ absolutæ: quasi Pontifex esset Dominus omnium beneficiorum : quæ omnino repugnant potestati ministeriali Spirituali qua Papa solum donatus est, ut alias probavimus.

Sed ut ad nostræ Historiæ filum revertamur, memoriæ proditum est, Cancellarium à Prato, cujus hortatu & consilio Bononiensia pacta cauponata sunt: quique hoc turpi atque infelici mercimonio viam sibi ad Cardinalatum, perpetuamque legationem in Galliis stravit : nunquam dehinc gratum fuisse Regi Francisco : atque ejusdem Pratensis domum perpetua vexatam Nemesi. Hercle cum ingentem summam pecuniæ ad instaurandam majorem Aulam Nosocomii Parisiensis, quæ etiamnum hodie Aula Legati nuncupatur, Pratensis impendisset : Franciscus ubi id rescivit, jocose, verissime tamen, tota regia audiente dixit, Legatum quamquam semetipsum omniaque sua curandis & hospitandis

pauperibus quos exspoliaverat, impenderet, nunquam tamen posse illis satis ampla & commoda instruere Xenodochia. Proh. hominum fidem & probitatem! Opes & bona Ecclesiastica tanquam Cœlestis & inexhaustus thesaurus non alicui privato & singulari homini, sed toti Ecclesiæ Communitati credita & collata, sacris electionibus vigentibus, cum velut quoddam Cœleste depositum & fidei commissum, partim sacrarum ædium fabricis, atque Ornamentis Ecclesiasticis comparandis: partim Ministris Ecclesiæ & pauperibus alendis, vestiendis, medicandis, & hospitandis inservirent: Concordatis Bononiensibus, curando & saturando paucorum hominum luxui, atque etiam Nepotibus Ecclesiasticorum in morem Principum secularium locupletandis omnino addicta sunt. Quodque magis lugendum, hoc in consuetudinem ordinariam ita abiit, ut jam nullus sit qui non palmarium arbitretur bonis Ecclesiasticis ditari & splendescere. Ut ut sit, apposite quidem Optatus Milevitanus ait *Deum in singulis rebus exemplorum apposuisse formam : ut sit quod imputet imitantibus prima peccata.*

Quis totius Ecclesiæ Gallicanæ, sed præsertim Parisiensis Academiæ planctus incredibiles scriptis digne mandare queat? Cum enim tanquam ex alta specula imminentem Ecclesiæ & bonis moribus ruinam ex sacrarum electionum abdicatione prospiceret: nul-

lus

lus tum Scholaſticus, Pædagogus Magiſterve extitit, qui in Pratenſis Cancellarii & Concordatorum odium, non aliquid dixerit, ſcripſerit, aut factitarit: Gymnaſii Pleſſæi Scholaſtici, Pratenſem Centonibus atque purgamentis perſonatum effinxerunt, magnaque Scholaſticorum turba ſeſe ad Collegium Pleſſæum adgregante, Legatum ſic diſformatum & inquinatum, velut reum & piacularem hoſtiam in B. Mariæ atrium exhibent, accuſant, patratique in Eccleſiam ſceleris damnant: atque univerſa Civitate ad ſpectaculum advolante, omni genere contumeliarum luto ac ſordibus conſpurcatum populo execrandum ignominioſe exponunt. Tumque res haud longe à tumultu & ſeditione, cui ſolum Dux deerat abſuit, ut narrant Hiſtorici hocque Epigramma cujus meminit Genebrardus in Chronologia per omnes vicos & plateas urbis affixum eſt:

Prata, Leo, Mulier, frendens Leo rodit utrumque:
Prata, Leo, Mulier, ſulphuris antra petant.
Prata, Leo, conſorte carent, mulierque marita,
Connubio hoc jungas; Cerberus alter erunt.

Nam ut idem ait Genebrardus, *Leo Pontifex, Regis mater & Cancellarius à Prato hujus facinoris auctores habebantur.* Hic premo ſilentio quoddam populare diaſyrticum: *Concilium cleri fle: quicquid habes ſera riffle, &c.* partim Latina partim vulgari Lingua ex his ſolennibus Juriſconſultorum formulis contextum: *Do ut*

des, facio ut facias: quo Dicterio & Regem & Pontificem velut de Ecclesiæ & Christi opibus colludentes culpabant: Profecto specie Bellici Turcici, decima super Clerum imposita quæ ab illo die continuat, æternumque continuabit: neque tamen plus adfert subsidii populo, quam aquam in dolium rimosum Danaidum congesta. At nequitiæ Magistri qui Francisco Regi Auctores fuerant ut cum Leone hæc iniquitatis mysteria pacisceretur (sic enim ea vocat Genebrardus in Chronologia) cum fortissimo Principi futurum sponderent, ut ex ejusmodi pactis & jure nominationis ad beneficia, deinceps Galliæ Reges totum Clerum Gallicanum quasi popismate ex animi sui arbitrio flecterent: nescio quo Dei occulto judicio contrarium usu evenit. Nam compertum est, Ecclesiasticos quamquam Regum nostrorum munificentia ad opes atque fortunas Principum evectos, attamen neque Franciscum Regem neque ejus stirpem aut illorum successores ex animo unquam ut par est adamasse: plurisque Curiæ Romanæ quam Regum Mandata semper fecisse: de majori parte loquor. Hinc illæ Francisci I. adversus Stephanum Poncherium ultimum Episcopum Parisiensem Jure electionis promotum, querelæ: quod tempore suæ captivitatis in Hispania, rebus novis studuisset, partim ut impediret ne Rex liberaretur ab Carolo V. partim ne Ludovica Sabauda Fran-
cisci

cisci Mater Regni gubernacula, *Regentiam vocant*, capesseret. Quid hic Civiles Tumultus anni 1566. sub Henrico III. & gesta Ecclesiasticorum, post Henrici Magni cædem sub infirma Ludovici XIII. ætate atque regimine commemorem. Profecto stante Pragmatica nulli Gallicanæ Ecclesiæ libertates Regni & Regum nostrorum jura, dignitatem ac majestatem contra Curiæ Romanæ usurpationes fortius atque animosius ipsis Ecclesiasticis tuebantur. Sed postquam semel arcanis Curiæ Romanæ Consiliis atque ambitione delibuti & inescati sunt, hercle supremam Ecclesiæ Catholicæ, Regis & Regni Gallicani auctoritatem potestati absolutæ Pontificis sic addixerunt ac manciparunt: ut anno 1615. in publicis trium ordinum Regni Conventibus, Franciæ Regem à Pontifice Romano abdicari posse contenderint: ac Cœlum Terræ miscuerint ut hæc eorum opinio pervinceret: adeo quidem, ut ordinem Nobilium, quod monstro simillimum est, in suam opinionem factiose abduxerint. Proculdubio, quandiu jus commune integrum stetit, Episcopi Romanum Pontificem velut Petri Successorem atque Ecclesiæ Catholicæ Primatem suspiciebant & venerabantur: Abrogatis vero electionibus jugum absolutæ infallibilis Monarchiæ subire coacti, tum demum in aliquam partem hujus pretii etiam proportionatim venire, sequi pariter absolutos Mo-

narchas venditare, in ſuo Epiſcopatu blandiente Cathedra ſibi facile perſuaſerunt.

Sed ut nos ex hoc diverticulo domum referamus : cum ordo ampliſſimus Pariſienſis Academiæ audiendæ ſuper damnis & gravaminibus quæ à Concordatis importabantur diem indixiſſet, Magiſter Joannes Bochardus Syndicus & Patronus omnium Univerſitatum Regni Franciæ cauſam peroravit : & quia tum moris erat cauſarum actoribus, ab aliqua voce eximia Sacræ Scripturæ dicendi principium facere : Ille cum demonſtrare vellet cunctas Franciæ Academiæ vehementer exoptare conſortes eſſe luctus & mœroris quo tota Gallicana Eccleſia, Senatorius ordo, omneſque boni & pii viri contabeſcebant, ſic eſt exorſus, *Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum*. Deinde, inter innumera Argumenta quibus Concordatorum nullitatem oppugnabat, eaque ſolum via facti nullo juris ordine ſervato condita eſſe, hoc primum occurrere convincebat, quod Pragmaticæ abrogatio & concordatorum fabrica eodem plane die & ſub eadem data condita fuiſſent : Idque demonſtrare, Curiam Romanam, nihil aliud in hac re penſi habuiſſe, quam ut via facti, nullo prævio examine inaudita Eccleſia Gallicana ſacras abrogaret electiones, quæ palladium erant Eccleſiæ. Cauſa autem perorata Bochardus publicæ addictus eſt cuſtodiæ & Pontifices Romani, ut juſtum Parlamenti

lamenti dolorem lenirent, atque Senatum & Libellorum ſupplicum Magiſtros in ſuas partes allicerent: tum demum ſingulis illorum, facultatem indulti ut nominant de alieno non de ſuo largiti ſunt: Idque Franciſcus Rex edicto ſuo comprobavit Anno 1543. die 13 Martii, hucque abuſus evaſerunt, ut Senatores & Libellorum ſupplicum Magiſtri, cum aliquos ſeculares aut regulares Clericos pro jure indulti ſui, quaſi eis gratificari vellent, nominarint: poſtea ubi beneficium ſub titulo nominati obtinuerunt, eum quem nominarunt etiam ſub pœna Carceris beneficium ejurare cogant: & ita confidentiam publico judicio & Regis auctoritate palam atque aperte tuentur.

Permulti eruditione ac pietate celebres viri exiſtimant Eccleſiæ Catholicæ viſceribus plagam longe periculoſiorem impactam hujuſmodi Concordatis quam Lutheri aut Calvini deteſtandis erroribus: hancque ſuæ opinionis cauſam aſſignant. Quod fides & doctrina Catholica Chriſto lapidi & petræ angulari hæreat immobiliter ac magno veritatis privilegio, tenebræ contra lucem, mendacium in veritatem, hæreſes in Euangelium, & portæ inferi adverſus Eccleſiam Catholicam nunquam prævalituræ ſint, Matthæi XVI. contra autem adverſus Eccleſiæ regimen, diſciplinam ab Apoſtolis propagatam & mores hominum facile obtineant, niſi turri

& macerie à Christo Matthæi XXI. ædificata obvallentur atque muniantur. Quæ turris ac sepes nihil est aliud quam jus commune, sacræ electiones, & optima disciplina octo primis universalibus Conciliis servata & consignata : cujus ope Ecclesia tanquam lege viva & animata divinitus gubernatur : bonique acres, & vigiles canes & Pastores custodiendo, pascendoque gregi præficiebantur. His autem cœlestibus munimentis & aggeribus antiquatione Pragmaticæ disturbatis atque eversis : certe hoc Esaiæ I. Oraculum de Ecclesia jam complementum accepisse videtur : *Et derelinquetur filia Sion ut umbraculum in vinea, & sicut Tugurium in Cucumerario & sicut Civitas quæ vastatur hostili exercitu.* Qua divina voce ad exprimendam Ecclesiæ ruinam Concordatis invectam, nulla aut significatior aut potentior excogitari potest : Quoniam sub Urbis ab hostibus captæ imagine, præsentem Ecclesiæ statum quantum ad regimen & disciplinam nobis præ oculis exhibet. Domine Jesu Christe ! quantis ab eo die respubliea Christiana prostrata est cladibus ? quantum colluviei vitiorum contractum, & sanguinis Christiani ob spem reformandæ Ecclesiæ abdicatam effusum ? *Hinc tota Galliæ*, ait Genebrardus, sed verius dicamus *tota universæ Ecclesiæ pernicies : in ea omnis generis Hæreseon, Simoniarum, Commendarum, Fiduciarum, atque aliarum nundinationum seminarium uberrimum :*

scien-

ſcientiarum quoque, virtutis, pietatiſque exterminatio, & horrenda confuſio Babylonica : quæ diſciplinam Apoſtolicam exterminavit, jus commune & ordinariam miſſionem à Deo inſtitutam funditus ſuſtulit : Paſtorum reſidentiam, quæ juris eſt divini & naturalis, ab Eccleſia longe exturbavit : totum ordinem Hierarchicum cum ſanctiſſimis antiquorum Monachorum Cœnobiis ac Inſtitutis corrupit : atque in horum locum innumeros novarum Religionum ordines qui certiſſimum ſunt morbi quo Eccleſia laborat judicium non remedium, nulla ratione aut modo adhibitis ſuffecit. (contra decimum tertium Synodi Lateranenſis Canonem ſub Innocentio III. *De religioſis domibus Cap. ne nimia religionum diverſitas, in decretalibus*) Templa innumerabilia, Xenodochia, Gymnaſia, Scholas, Univerſitates, aliaſque virtutum officinas & ſacras domos, majorum noſtrorum pietate, frugalitate, nuditate, ac jejuniis multorum ſeculorum lapſu ſacrarum electionum beneficio conſtructas, & ad nos integre tranſmiſſas, paucorum annorum inclinatione dilapidavit, ac ſolo exæquavit : inſuper, omnia Eccleſiarum Collegia & Capitula, tum in proprios Epiſcopos, cum in decanos & præpoſitos ſuos : Cœnobia Monachorum in Abbates Commendatarios, tanquam in hoſtes infeſtiſſimos ac ſibi renitentibus datos excivit ; omnemque ſenſum Charitatis ab ordine Ec-
 cleſia-

clesiastico sic eliminavit, ut majorem partem illorum, perennes simultates, jurgia, odia, & lites in sese invicem exercere omnibus exploratum sit. Quotusquisque nisi omnem pietatis & Religionis memoriam cum humanitate exuerit, non acerbissime ruinam Episcopalis atque presbyteralis ordinis defleat? Et si enim hos Dominus noster velut canes pervigiles, lucem, salem, censores, ac mundi regulam esse, libereque & prudenter vitia increpare voluit: Attamen pactis Bononiensibus quasi ictu fulminis perculsi, in iis quæ sui sunt muneris usque adeo muti, cæci, infatuati, obtortique, effecti sunt, ut quinam sint, qui fuerint, aut unde exciderint nullo pacto cognoscant vel cognoscere queant. Quod si rerum ad Religionem spectantium habenda, ut certe potissimum habenda ratio, equidem ordinis Hierarchici à Deo instituti quam novorum ordinum longe causa potior atque augustior: quando isti suas separatim Ecclesias & sacra ædificant, sibique privatim potius quam communi & matrici Ecclesiæ Cathedrali serviunt, uti experientia comprobat. Cur ergo sicut olim in more positum erat, *illa non fiunt & hæc minime omittuntur?* Enimvero, jure communi & sacris electionibus obtinentibus, Episcopi de ordinis Hierarchici propaginibus conferendis, præsertim, sicut ex officio tenentur, erant soliciti: neque tamen Curam Monachorum abjiciebant, cum ordi-

ordini Hierarchico ſublevando & propagando uſui eſſe poſſe cernerent. Quid dicere opus dignitates atque opes Eccleſiaſticas, hodie nulla habita ratione Spiritualium quaſi pro lomento atque Aſylo à permultis nefariis ambiri & poſſideri? Quotuſquiſque Paſtorum ſalutem & rectam populi Inſtitutionem propter quam Dominus mortem acerbiſſimam pertulit, tanto ducit in pretio, quam temporale patrimonium Eccleſiæ? Ecquis ob paupertatem & fortunarum tenuitatem, quamvis innocentiæ & vitæ integritati conjunctam, quam propter ullam infamiæ notam opibus atque delitiis affluentem, non multo magis pudore ſuffunditur? Heu! *Creditur ingens pauperies vitium, caveturque nihil acrius?* Omnes obliti animas hominum Chriſti ſanguine redemptas genuinum eſſe Eccleſiæ & Domini Patrimonium: *Bone Jeſu, cadit Aſina & nemo eſt qui ſublevet eam: perit anima, & nemo eſt qui reputet, nec mirum cum nec noſtros quidem aſſiduos ſentiamus defectus*, ait S. Bernardus quarto de conſideratione, capit IX. Quid memorem, Eccleſiaſticos, qui tanquam lumen & ſal terræ exemplo bonæ vitæ ſecularibus viris prælucere debent, hodie ab judicibus laicis normam & modum diſciplinæ conſtituendæ mutuari? Unde autem hoc niſi quia poſt ſacras electiones abrogatas nulli amplius cenſus & Synodi habentur? atque beneficia Eccleſiaſtica, non virtuti ſed in obſequii,

quii, faxit Deus ne turpioris, compensationem plurimum deferuntur? Quocirca contra quam in omnibus aliis artibus & vitæ genere accidit, usu experimur, homines invito atque obtorto collo velut in pistrinum mancipia, sic ad sacros ordines solo divitiarum Ecclesiasticarum ambitu sæpissime compingi. Quare pro canibus lupos, pro Pastoribus lanios, pro Episcopis Mercenarios ac Institores, pro viris vitæ Sanctimonia claris, molles & delicatulos Aulicos infantes octuennes, Mulieres, utque uno verbo dicam, homines pessime in Religionem Catholicam animatos Ecclesiis regendis frequenter præfici videmus. Hæc autem Papa Adrianus VI. integerrimus dum ex concordatis posse usu evenire cerneret, dicere solebat, necessum esse Romanis Pontificibns in hanc curam incumbere, ne Franciæ Reges Aulicorum prensationibus circumventi, homines capessendis Sacerdotiis minus idoneos nominarent: Hocque nisi Pontifices à Regibus impetrarent, jus sacrarum electionum abrogatis nominationibus in integrum restitui oportere. Quamobrem ab Adriani VI. Pontificatu Curia Romana in Bullis & diplomatibus beneficiorum Gallicanorum nominatim causatur atque excipit, se prætextu & colore Concordatorum ejusmodi beneficia ad Regiam nominationem conferre. Egregiam certe exceptionem: quasi ipsimet Pontifices istarum pactio-

num

num & antiquationis ſacrarum Electionum velut Schiſmaticarum primi auctores non extiterint : & Franciſcus ad Curiæ Romanæ gratiam ſibi conciliandam, pacemque ab ea redimendam iſtam fœdiſſimam nundinationem accipere non coactus fuiſſet : eo præſertim tempore quo & Julius II. & Leo X. armis & bellicis copiis inſtructiſſimi haud aliter adverſus Conſtantienſis atque Baſileenſis Concilii decreta & ſanctionem Pragmaticam quam olim Alcides in Lernam,& Jaſon ac cæteri Argonautæ in tauros ignivomos ad vellus aureum captandum depugnabant. Quod autem majori dignum odio, iſti peſtilentes abuſus & deformitates Curialium, ita quidem caput attollunt atque triumphant, ut his infeliciſſimis temporibus in locum juris communis & diſciplinæ ordinariæ Eccleſiæ invaſerint & transformata ſint. Quamobrem Epiſcopi, Reges, Principes, Nobiles, Senatores, atque ipſemet Populus Regni Franciæ, qui ab iſtis pactionibus tanquam à communi Eccleſiæ calamitate initio abhorrebant, tuæ demum propriæ utilitatis illecebra, iſtas vomicas & carcinomata, quaſi meſſem auream cœlitus demiſſam complexi, tutatique ſunt: Ita ut datus ſit locus Prophetæ vaticinio, *Domina gentium quaſi vidua facta eſt ſub tributo, & non eſt qui conſoletur eam : Hæreditas noſtra verſa eſt ad alienos, &c.* Cum igitur morbi, injuriæ atque corruptelæ illinc unde medicina juraque

que ſalutaria debebant promanare ſcaturiant: Quotuſquiſque & de Eccleſiæ in melius inſtauratione, & de publica ſalute ſpem omnem non merito abjiciat? Quandoquidem Dominus uſum Synodorum Matthæi XVIII. ad Jus Commune, ſacras electiones, & diſciplinam Apoſtolicam vindicandam, minime vero ad univerſalem ſtatum & ordinem Eccleſiaſticum labefactandum & pecunias corradendas ſancivit, ſicut poſtrema Synodo Lateranenſi factum eſt. Quod ſi nimiæ opes & divitiæ tanto ſceleri cauſam atque fomentum præbent: Heu! potius male pereant, quam per & propter iſtam ſarcinam, Religio & fides Chriſtiana ſic in dies ad has anguſtias & ad paucos coarctetur. Pro dolor! quicquid antea bonæ & laudabilis conſuetudinis, quicquid vitæ ſanctioris, quicquid ordinis ac diſciplinæ exactioris, quicquid inſuper Charitatis, optimorumque exemplorum ab electis Paſtoribus tanquam à lege viva & lumine mundi tenebras depellente ſplendeſcebat, Concordatis Bononienſibus plane extinctum eſt: atque divina & humana jura venum expoſita, ac virtuti omnis obſtructa via, & pretium in ſolo conſtitutum pretio. Quandoquidem hodie in commune ceſſit effatum: *Non eſſe Simoniacum pecuniam dare pro beneficio tanquam aliquod motivum gratuitum ad reſignandum: & pacta redimibili penſione, licitum ſecure paciſci de beneficio.* Quibus principiis in uſum

inva-

invadentibus, nullum eſt plane beneficium aut Eccleſiaſtica dignitas, etiam ipſe Papatus, de quo non liceat paciſci & concordare.

Cæterum Leo X. & Franciſcus I. quos parentes literarum nominant, tametſi viros doctos undequaque ad ſe accerſendo & quibuſdam ſtipendiis ornando in ſpeciem bonas & ingenuas artes juviſſe & erexiſſe credantur: nihilo minus eas radicitus exſtirparunt: quippe qui cunctas univerſitates patronis atque fundatoribus vacuarint, artium bonarum ſtudioſos Mœcenatibus, Scholas omnes Profeſſoribus, aliiſque viris doctiſſimis, qui magno literarum & literatorum bono in Gymnaſiis conſeneſcere ſolebant privarint. Enimvero, hæc fuit quondam Epiſcoporum ſacris ſumptorum electionibus virtus, ut in maximam gloriæ & ſalutis ſuæ partem ducerent, ſi ad melius informandam & erudiendam juventutem, Collegia, Scholas, & ſeminaria inſtituerent: Noſocomia fundarent, atque alia ejuſmodi monimenta ſuæ pietatis certatim in uſum reipublicæ Chriſtianæ ædificarent. Hodie autem vix ac ne vix quidem illis ſuperat unde luxum faſtumque aulicum perferre, familiam ampliſſimam alere, refercire, ac pigmentis variis inſtar pavonum aut faſianorum exornare queant. Idque eſt in cauſa ut ordo Hierarchicus maximam bonorum Paſtorum atque presbyterorum doctorum penuriam ſentiat, atque in dies ſingulos tot tantaque

nova

nova Religioſorum Cœnobia in magnum ordinis Hierarchici & Chriſtianæ reipublicæ detrimentum, & quidem potius ad obtegendum atque involvendum quam ad ſanandum vulnus erigantur à Pontificibus. Quos & ſimiles abuſus, homines obnoxii ut ſuas merces facilius exponant ac venditent, his & conſimilibus placitis incruſtare nituntur: Scilicet *Papam neque ut Papam neque ut privatam perſonam errare poſſe: Bellarminus quarto de Romano Pontifice Cap. VI. item Papam neque in approbatione Religioſorum, neque in Canonizatione Sanctorum errare poſſe.* Quorſum autem hæc, niſi ut tanquam infallibilem regulam omnia & ſingula Curiæ Romanæ adinventa, ritusq́, & cæremonias recipiamus (licet univerſum Eccleſiæ ſtatum à Chriſto & Apoſtolis inſtitutum peſſum dent. Et ſi quis in contrarium aliquid imaginari audeat, pro Schiſmatico & Hæretico cenſeatur?

Verum, hæc mundanæ ſapientiæ arcana quominus pateant, & ſi magno quidem cum artificio ab hominibus obtegantur: (Ne ſcilicet populus Eccleſiam emendatione indigere cognoſcat: & ne cui perſpectum fiat à ducentis amplius annis omnes bonos & pios viros in ſtudium emendandæ Eccleſiæ vehementer incubuiſſe, & nihil quicquam promoviſſe:) Attamen Deus optimus maximus ſua inſcrutabili providentia illa tandem in omnium oculis exponi voluit: quoniam illo ipſo anno quo Sy-

Synodi Constantiensis & Basileensis decreta cum Sanctione Pragmatica in Synodo Lateranensi à Leone X. abrogata sunt: Lutherus quæstum turpissimum indulgentiarum reprehendit: atque in Curiæ Romanæ corruptelas, non ut Ecclesiæ filius sed hostis acerrimus detonuit. Siquidem magno veritatis ac virtutis præjudicio usu evenire compertum est, ut qui amicum recte monentem audire detrectat, tandem à proprio inimico corripiatur: quoniam Deus nunquam veritatem opprimi patitur. Certe dum apud me perpendo Arrianismum & Monotheletismum, in quo de sola doctrina, non de sanandis moribus Ecclesiæ certabatur, trecentos circiter annos continuasse: valde quidem reformidare incipio, ne Lutheri & Calvini Hæreses quæ potissimum ex regiminis Ecclesiastici corruptela & morum bonorum tabe originem & incrementa hauriunt, multo longius latiusque pervadant: nostrique mores corruptissimi, quod nulla jam ratione sanari posse experimur, demum immani Turcorum barbarie aut alia memorabili clade justissime & severissime conterantur. Quando eo furoris ac dementiæ ventum est, ut jam nec cum propriis vitiis diutius hospitari, nec ullam eorum medicinam quantumvis benignam, & salutarum perferre queamus. Nam homines obnoxii & ad eam rem conducti, statim atque aliquem etiam pium & maxime Catholicum in-

tuentur, qui lapsum Ecclesiasticæ disciplinæ paulo liberius deflet: continuo illum patres & querelas Hæreticorum fovere criminantur. Quid igitur causa tanti mali & corruptelam pertinacius obdurescente atque in dies singulos altius pervadente, superest, quam ut Hæreses & Schismata acrius inflammentur, nosque in illas horribiles ruinas dedant præcipites, quæ postremis temporibus venturæ, ac illam diem terribilem Domini nostri Jesu Christi acceleraturæ sunt?

II. Cum igitur eodem anno quo pacta Bononiensia promulgata sunt, Lutherus quæstum turpissimum Indulgentiarum reprehendisset, eamque ob causam à Cardinali Cajetano legato Apostolico in vitæ discrimen vocatus esset: hic fretus quorumdam Principum Germanicæ Nationis præsidio, acrius in Curiam Romanam bacchari cœpit, & propter corruptos mores Ecclesiasticorum ejusmodi incendium totam Europam sensim pervasit. Cui malo ut Adrianus VI. optimus & sanctissimus Papa obviam iret primo anno sui Pontificatus 1522. die XXV. Novembris Commentaria fiduciæ, ut vocant, dedit Francisco Cheregato Nuncio Apostolico in Germania, quæ Principibus Germanicæ Nationis proponeret in Conventu Nurembergensi: quibus Commentariis serio esse navandam operam Ecclesiæ emendationi tum in Capite cum in membris declarat: illa vero quoniam mirum

mirum in modum ad Historiam Conciliorum faciunt, hic solide exscribam.

Venerabilibus fratribus dilectis filiis, nobilibus viris, Sacri Romani Imperii Principibus, Electoribus & aliis Principibus, tam Ecclesiasticis quam secularibus, ac etiam Communitatum omnium inclytæ Germanicæ Nationis Oratoribus in diæta Nuribergensi congregatis.

III. *INstructio pro te D. Francisce Cheregate de quibusdam quæ Prælatis, Principibus, & Civitatum Germanicarum Oratoribus dicere poteris viva voce, ubi & quando opportunum judicaveris.*

In primis declarabis eis maximum dolorem quo affligimur ex prosperatione Sectæ Lutheranæ, ob id potissimum quod videmus innumerabiles animas Christi sanguine redemptas & curæ nostræ Pastorali commissas illius occasione à vera fide ac religione averti, & in perditionem ire: idque in Natione ex qua nobis secundum carnem origo est: quæ ab initio ex quo ad Christum conversa fuit, usque ad istos proximos annos semper extitit fidelissima ac religiosissima: ac propterea nobis vehementissimum desiderium esse ut huic pesti celerius occurratur, priusquam Germaniæ ipsi contingat quod Bohemiæ olim contigit: nosque paratissimos esse ad faciendum omnia in hunc effectum, quæ ex parte nostra expectari potuerunt ac summopere desiderare, ut etiam unusquisque eorum hoc ipsum pro viribus facere studeat: utque id faciant nos quantum possumus unum-

quemque eorum hortari & rogare: debebunt autem eos ad hoc monere sequentia.

Primo & ante omnia honor Dei omnis rebus præferendus, qui per istas Hæreses graviter læditur, ejusque cultus consuetus, non solum diminuitur, sed potius ex toto corrumpitur. Item charitas erga proximos, quo unusquisque pro viribus studere debet proximos errantes ab errore revocare. Quod nisi fecerit, Deus eos qui sua negligentia pereunt de manu ejus requiret.

Secundo, monere eos debet infamia Nationis suæ, quæ cum semper præ cæteris Nationibus Christianissima sit habita, nunc propter eos qui Sectam Lutheranam insequuntur apud omnes pessime odit.

Tertio, moneat eos respectus honoris eorum proprii qui maxime læditur: si ipsi apud Nationem Germanicam auctoritate & potentia pollent, Hæreses istas non totis viribus expellere laborant: tum quia degenerabunt à progenitoribus suis viris Christianissimis, qui in Constantiensi Concilio ex magna parte interfuerunt condemnationi Joannis Huß, & aliorum Hæreticorum, quorum aliqui ipsum Joannem Huß propriis manibus ad ignem duxiße dicuntur. Tum quia ipsi, vel major eorum pars, Edictum Imperiale in executione sententiæ Apostolicæ contra Martinum Lutherum & suos latæ factum, approbarunt, ei auctoritatem suam adhibuerunt: & propterea nisi illud pro viribus exequuti fuerint, vel inconstantes judicabuntur, vel etiam favere reputabuntur: cum manifestum sit, eos ubi efficaciter velint, illum exterminare facile posse.

Quarto

Quarto moneat eos injuria quæ per Lutherum eis & eorum Parentibus ac progenitoribus infertur. Cum enim ipsorum Parentes & progenitores & ipsimet semper tenuerint fidem quam Ecclesia Romana atque Catholica approbat, & Lutherus suique Sectatores longe diversam fidem teneant, asserendo multa non esse de fide quæ tamen illi tenuerunt esse de fide: manifestum est illos à Luthero condemnari pro Infidelibus & Hæreticis: & per consequens secundum Lutherum, omnes eorum Majores qui in fide nostra decesserunt sunt in inferno, quum error in fide homines damnationis reos faciat.

Quinto attendant finem ad quem Lutherani tendunt, ut scilicet sub colore libertatis Euangelicæ, quam hominibus proponunt, omnis potestas superioritatis tollatur. Nam licet ab initio præ se tulerint Ecclesiasticam potestatem tanquam tyrannice & contra Euangelium occupatam annihilare, seu reprimere velle: tamen cum eorum fundamentum scilicet libertas quam prædicant, æque vel plus militet contra potestatem secularem: quasi scilicet obligare possit homines ad parendum sub pœna mortalis peccati, manifestum est etiam eos illam enervare velle: quamvis astute fecerint illam salvando, ut scilicet Principibus secularibus credentibus machinationem hanc non contra se, sed duntaxat contra Ecclesiasticos (quibus laici communiter infensi sunt) dirigi: ac propterea partim in eorum favorem tractis, partim dissimulantibus, seu non contradicentibus, ipsi facilius Ecclesiasticos everterent; quo facto dubium

 non

non est quin populi idem contra seculares Principes tentaturi essent.

Sexto, moveant eos maxima scandala, turbationes bonorum, homicidia, lites, dissentiones, quas Secta hæc pessima excitavit, & quotidie excitat per totam Germaniam : Item Blasphemiæ, Maledicta, Scurrilitates & Amaritudines quæ istis semper in ore sunt : quæ nisi ipsi sedare curaverint, verendum est ne ira Dei & desolatio veniat super Germaniam in se ita divisam : imo semper ipsosmet Principes : qui cum potestatem & gladium à Domino receperint ad vindictam malorum, talia in subditis suis fieri permittant. Maledictus, inquit Propheta, qui facit opus Dei negligenter, & prohibet gladium suum à sanguine iniquorum. Jeremiæ XLVIII.

Septimo, considerent Lutherum prope consimili via ad seducendum Populum Christianum uti, qua Mahometus ille spurcissimus usus, tot animarum millia decepit : permittendo videlicet ea ad quæ homines Carnales inclinantur. Et exinde eximendo eos ab his quæ in lege nostra graviora videntur, nisi quod Lutherus paulo modestius agere videtur, ut eo efficatius decipat. Mahometus plures uxores habendi & eas pro arbitrio repellendi aliasque ducendi licentiam concessit. Iste ut Monachorum & Deo dicatarum virginum ac Sacerdotum, lascivia carnis gestientium favores sibi conciliet, prædicat vota perpetuæ continentiæ etiam illicita esse, nedum non obligatoria : propter eaque licere eis per Euangelicam libertatem nubere : Immemor verbi

Apo-

Apostoli cum dicit de viduis adolescentioribus quod cum luxuriatæ fuerint in Christo nubere volunt, habentes damnationem, quia primum fidem irritam fecerunt.

Quibus per te expositis & aliis quæ in hanc sententiam, partim ex literarum nostrarum exemplis colligere, partim ex tua prudentia excogitare poteris: hortaberis nostro nomine dictos Principes, Prælatos, ac populos, ut tandem expergiscantur & excitentur ad obviandum tam grandi injuriæ, quam Lutherani Deo & Sacræ Religioni ejus, & maximæ ignominiæ quam toti Nationi vestræ Germanicæ ipsisquemet Principibus, & maxima opprobria atque contumeliam quam majoribus eorum quos, ut diximus, in effectu ad Gehennam condemnant inferre noscuntur: & ad exequutionem sententiæ Apostolicæ ac Imperialis Edicti facti omnino procedant: & detur venia his qui respicere & errores suos abjurare voluerint, semperque proniores sint ad miserandum quam ad vindicandum: Exemplo Dei nostri, qui non vult mortem peccatoris, sed magis ut convertantur & vivant. At qui in errores pertinaces permanserint, districtionis virga juxta sacrorum Canonum & legum Decreta sic puniantur, ut cæteri eorum exemplo vel in fide recta permaneant, vel lapsi in rectam viam redeant.

Quod si quis forte dixerit, Lutherum inauditum & indefensum fuisse per Sedem Apostolicam condemnatum, & propterea audiri omnino debere, nec antequam convictus sit condemnandum esse; Respondebitis, quod illa quæ fidei sunt propter divinam au-

auctoritatem credenda sunt, non probanda. Aufer, inquit Ambrosius, Argumenta: ut fides quæritur Piscatoribus creditur, non Dialecticis. Et recte fatemur ei defensionem negari non debere in his quæ sunt facti: hoc est utrum dixerit necne: utrum prædicaverit vel scripserit necne; semper divino jure vero, & materia Sacramentorum stando auctoritati Sanctorum & Ecclesiæ. Adde quod fere omnia in quibus Lutherus ab aliis dissentit, sunt per diversa Concilia prius reprobata. Non debet autem revocari in dubium quod per Concilia generalia & universam Ecclesiam constat esse approbatum tanquam fide tenendum. Injuriam namque facit Ecclesiæ Synodo qui semel recte disposita nititur in dubium revocare? Quid enim unquam certi esse poterit inter homines? vel quis disputationum contentionumque finis erit, si præsumptuoso & perverso cuique libertas seu licentia erit, recedendi ab his quæ non unius neque paucorum, sed tot seculorum & tot sapientissimorum consensum & Catholicæ Ecclesiæ (quam Deus in his quæ fidei sunt nunquam errare permittit) determinatione sancita sunt: Cum tamen unaquæque Civitas leges suas inviolabiliter observari exigat. Quomodo non omnia turbationibus & scandalis, & confusione plena erunt nisi ea quæ semel imo sæpius maturo judicio constituta sunt ab omnibus inconcusse observentur? Cum igitur Lutherus & sui Concilia Sanctorum Patrum condemnent, Sacros Canones comburant, & cuncta pro arbitrio suo confundant, ac totum mundum perturbent: manifestum est eos tanquam publicæ

Item

pacis turbatores exterminandos esse.

Item dices nos ingenue fateri, quod Deus hanc persequutionem Ecclesiæ suæ inferri permittit propter peccata hominum: maxime Sacerdotum & Ecclesiæ Prælatorum. Certum enim est non esse abbreviatam manum Domini, ut salvare nequeat, sed peccata dividere inter nos & ipsum, & abscondere faciem suam à nobis ut non exaudiat; clamant Scripturæ peccata populi derivari â peccatis Sacerdotum: proptereaque ait Chrysostomus, Salvator noster curaturus infirmam Civitatem Hierusalem ingressus est prius Templum, ut peccata Sacerdotum primo castigaret instar boni medici, qui morbum à radice curat. Scimus in hac sancta Sede aliquot jam annis multa abominanda fuisse: abusus in spiritualibus, excessus in Mandatis, & omnia denique in perversum mutata. Nec mirum si ægritudo à Capite in membra, à summis Pontificibus in alios inferiores Prælatos descenderit. Omnes nos, id est, Prælati Ecclesiastici declinavimus unusquisque in vias suas, nec fuit jamdiu qui faceret bonum, non fui usque ad unum; quamobrem necesse est ut omnes demus gloriam Deo, & humiliemus animas nostras ei: videat unusquisque nostrum unde ceciderit: & se potius quilibet judicet quam à Deo in virga furoris sui judicari velit. Qua in re quo ad nos attinet, polliceberis nos omnem operam adhibituros, ut primum Curia hæc unde forte omne hoc malum processit reformetur: ut sicut inde corruptio in omnes inferiores emanavit, ita etiam ab eadem sanitas & reformatio omnium emanet. Ad quod pro-

 cu-

curandum, nos tanto arctius obligatos reputamus, quanto universum mundum hujusmodi reformationem avidius desiderare videmus. Nos uti alias tibi dixisse credimus, Pontificatum hunc nunquam ambivimus, imo quantum in nobis fuit, longe maluissemus privatam vitam agere, & in sancto otio Deo servire. Et profecto Pontificatum ipsum plane recusassemus, nisi Dei timor & syncerus electionis nostræ modus, necnon Schismatis ex recusatione nostra imminentis metus, nos acceptare illum coëgisset. Subjecimus igitur colla summæ dignitati, non ob dominandi libidinem, neque ad ditandos propinquos nostros, sed ad divinæ voluntati parendum, ad deformatam ejus sponsam Ecclesiam Catholicam reformandam, ad subveniendum oppressis, & doctos ac virtute præditos, qui multo jam tempore neglecti jacuerunt, erigendum & ornandum: & denique ad omnia alia agendum quæ bonum Pontificem & legitimum Petri successorum agere oportet. Quamquam nemo mirari debebit, si non statim omnia errata & abusus omnes per nos emendatos viderit: Inveteratus enim morbus est, nec simplex, sed varius & multiplex, pedetentim in ejus cura procedendum est: & prius gravioribus magisque periculosis occurrendum, ne omnia pariter reformare volentes, omnia perturbemus: Omnes subitæ mutationes, inquit Aristoteles, in Republica periculosæ sunt: qui nimis emungit, elicit sanguinem.

Quod autem ultimis tuis literis scribis, questos fuisse tecum Principes istos quod concordatis eorum

per

per hanc Sedem derogatum sit: dices, nos de his quæ ante nos facta sunt culpari non posse nec debere, nobisque ejusmodi derogationes etiam dum in minoribus essemus semper plurimum displicuisse, Proinde nobis certissimam sententiam esse, etiamsi ipsi non requirerent, illis nostri Pontificatus tempore penitus abstinere, partim ut unicuique jus suum servemus, partim quia æquitas & humanitas exposcit ut inclytam Nationem nostram non solum non offendamus, sed etiam peculiares eis favores impendamus.

De processibus autem quos à Rota avocari & ad partes remitti postulant, dices nos cupere eis in hoc gratificari, quantum honeste possimus. Sed propter absentiam Auditorum ab Urbe pestis gratia, non posse nos de qualitate & habitudine ipsorum processuum ad præsens informari: reversis vero illis, quod peste jam decrescente brevi futurum speramus, facturos in gratiam dictorum Principum quicquid rationabiliter poterimus.

Item sollicitabis diligenter responsa Litterarum nostrarum, & requires eos ad quos scribimus, ut nos Literis suis informent, quibus mediis eorum judicio videatur hinc pessimæ Sectæ commodius obviari posse: ut ea quæ per nos providenda fuerint, celerius provideri possint: Et super hoc ipso etiam tu te diligentissime informabis, & nobis plane perscribes.

Item quia intelleximus in Germania esse multos bonos & doctos viros pauperes, aliqua etiam præclara ingenia quæ ex indignitate Apostolicarum

pro-

provisionum histrionibus & stabulariis potius quam viris doctis fieri solitarum à Sedis hujus devotione aversa; cupimus, ut inquiras quinam illi sint, eorumque nomina ad nos transmittas, ut occurente beneficiorum vacatione, illis proprio motu providere possimus. Scimus enim quantum Dei honori & animarum saluti & ædificationi obfuerit, quod jam diu Beneficia Ecclesiastica, maxime curam & regimen animarum habentia, data fuerint hominibus indignis.

De subsidio procurando pro Hungaris, non damus aliam informationem quam discedenti tibi dedimus: excepto quod te hortamur ut rem illam summo studio, uti facis, cures: nos etiam apud Principes & Respublicas Italicas missis Oratoribus solicitabimus, ut pro viribus quisque subveniat.

ADRIANUS PAPA VI.
R. BEZIUS.

Porro hujus legationis Francisci Cheregati Episcopi Fabriani Ciaconius meminit in vita Adriani VI. Cujus commentariis fiduciæ Principes Germaniæ articulatim & sigillatim responderunt: atque inter alia, *pernecessariam esse Concilii Generalis liberi celebrationem quantocyus & celerius id fieri posset: in eoque omnes debere obstringi ut non dulcia sed vera & meliora consulant per salutem animæ suæ, & absque adulatione doli vel fraudis suspicione, &c. propria sunt verba.*

Certe propositum erat Adriano, ut idem cia-

Ciaconus memorat, generale Concilium indicere & celebrare cum effectu ad Ecclesiam reformandam nisi Deus optimus maximus nobis justissime iratur eodem anno quo Adrinus Pontifex creatus est, illum vitam hanc corruptibilem cum æterna commutare voluisset. Sæpe enim Sanctissimus Pontifex ubi Curiæ Romanæ artes & consilia perspecta habuit, cum Gulielmo Encurtio & Theodorico Hezio suis familiaribus conquestus est, permiseram esse Pontificum Romanorum conditionem: eoque in statu res esse, ut quamquam maxime vellet, Ecclesiam emendare non posset; quandoquidem omnes corruptelæ atque abusus in formam status politici quæstuosissimi evaserunt. At Clemens VII. longe contrariam à suo præcessore viam trivit: eumque solitum dicere ferunt, quemadmodum primis Ecclesiæ seculis Conciliorum frequens celebratio Pontificiæ auctoritatis certissimum erat incrementum: Ita his postremis temporibus Pontificiam Majestatem nullo modo posse retineri aut vindicari in Conciliis: eamque ob rem Pontifices hodiernos tantum operæ in declinandis, quantum veteres in procurandis & habendis Synodis Generalibus debere collocare. Quare toto Clementis Pontificatu, hoc est undecim annorum intervallo tantum ab illo certatum est, ut Concilii Generalis celebrationem devitaret, quantum ardenter à Christianis Na-

Nationibus eam exposci sciebat: unde contigit, ut Hæresis Lutherana maximas & altissimas egerit radices integro Clementis Pontificatu: quo mortuo Paulus III. cum videret Lutheranismum magis ac magis in dies ampliari, & querelas contra Romanam Curiam augeri, animum quidem ad Ecclesiam & Curiam Romanam Reformandam se velle serio adjungere significavit: Huicque negotio ut accessionem faceret, jussit Novemviros (quorum quatuor erant Cardinales boni & docti viri) cum quinque aliis doctissimis & Piis Episcopis ac prælatis huic rei operam navare nonnullos Articulos in eum finem conscribere: Quos quidem Pontifex evulgari voluit ut omnes in spem futuræ Reformationis Ecclesiæ erigeret. Itaque ejusmodi Articulis in lucem editis, nullus erat qui non sibi persuaderet fore ut proximo Concilio celebrando de Ecclesia emendanda serio & ad amussim ageretur: præsertim vero quod Lutheranismus majora in dies faceret incrementa. Cæterum quando ex Gestis Conciliorum Ecclesiæ primitivæ dignoscimus, hoc antiquis patribus semper propositum fuisse, ut omnia acta diligenter referrent, quæ aut præcessissent, aut sequuta essent, Concilia (cujus quidem rei gesta primæ Synodi Ephesinæ, Concilii Chalcedonensis, &c. certissimam fidem faciunt:) valde dolendum est seculo quo ars Typographica florebat omnia Acta Sy-

Synodi Tridentiæ fideliter edita non fuisse: quorum quidem prœmium & fundamentum, Commentarii fiduciæ Adriani VI. ad Franciscum Cheregatum Nuncium Apostolicum in Germania cum Articulis jussu Pauli III. pro Ecclesia & Curia Romana reformanda conceptis facere videntur. Idque fuit incentivo fratri Petro Crabbe Franciscano, ut ejusmodi Articulos Novemviorum Synodo Tridentiæ in sua collectione Conciliorum præfigeret: mirorque quonam casu, vel instituto hoc Novemvirale Concilium à fratre Laurentio Surio Carthusiano prætermissum aut expunctum fuerit, cum operæ pretium Historiæ Ecclesiasticæ constituat. De Severini Binii nupera collectione, & Romana editione Conciliorum, non est ita laborandum: cum ipse Binius ingenue fateatur se in sua Synagoga Conciliorum præsertim Baronium atque Bellarminum auctores sequi: quibus viris hoc propositum esse nemo nescit, ut temporalem Curiæ Romanæ Monarchiam quovis jure vel injuria vendicent & nulla indigere emendatione, aut saltem quæ ab alio quam à summo & infallibili Monarcha Ecclesiæ fieri debeat, demonstrent. Unde in hoc studiuw præsertim incumbunt, ut omnia acta quæ Curiæ & Ecclesiæ reformandæ necessitatem indicant, abrogent. Sed ad Concilium selectorum Cardinalium jussu Pauli III. vulgatum venio: quod hîc integrum,

tan-

tanquam internum ac domesticum Curiæ Romanæ de Ecclesia emendanda testimonium exscribam.

Concilium delectorum Cardinalium, & aliorum Prælatorum, de emendanda Ecclesia, S. D. N. D. Paulo III. ipso jubente conscriptum, & exhibitum, Anno M. D. XXXVIII.

„ IV. BEATISSIME Pater, tantum abest,
„ ut verbis explicare possimns, quam
„ magnas gratias Respublica Christiano Deo
„ Optimo Maximo agere debeat, quod te
„ Pontificem hisce temporibus ac pastorem
„ gregi suo præfecerit, eamque quam habes
„ mentem dederit: ut minime speremus co-
„ gitatione eas quas Deo gratias debet con
„ sequi posse, nam spiritus ille Dei quo vir-
„ tus cœlorum firmata est (ut ait Propheta) la-
„ bantem, imo fere collapsam in præceps,
„ Ecclesiam Christi per te restaurare, & huic
„ rurinæ manum ut videmus supponere de-
„ crevit, eamque erigere ad pristinam subli-
„ mitatem decorique pristino restituere, cer-
„ tissimam divinæ hujus sententiæ conjectu-
„ ram nos facere valemus, quibus sanctitas tua
„ ad se vocatis mandavit, ut *nullius aut commodi*
„ *tui, aut cujuspiam alterius habita ratione, tibi*
„ *significaremus abusus illos, gravissimos videlicet*
„ *morbos, quibus jampridem Ecclesia Dei laborat,*
„ *ac præsertim hæc Romana Curia*, quibus effe-
„ ctum prope est, ut paulatim ac sensim in-

gra-

graveſcentibus peſtiferis his morbis magnam hanc ruinam traxerit, quam videmus. Et quoniam Sanctitas tua Spiritu Dei erudita, qui (ut inquit Auguſtinus, loquitur in cordibus nullo verborum ſtrepitu) probe noverat principium horum malorum inde fuiſſe, quod nonnulli Pontifices tui præceſſores prurientes auribus, ut inquit Apoſtolus Paulus, *Coacervaverunt ſibi Magiſtros ad deſideria ſua, non ut ab eis diſcerent, quid facere deberent, ſed ut eorum ſtudio & calliditate inveniretur ratio, qua liceret id quod liberet. Inde effectum eſt, præterquam quod principatum omnem ſequitur adulatio, ut umbra corpus, difficilium uſque ſemper fuit aditus veritatis ad aures principum, quod confeſtim prodirent Doctores, qui docerent Pontificem eſſe dominum beneficiorum omnium*: ac ideo quum Dominus jure vendat id, quod ſuum eſt, neceſſario ſequi, in Pontificem non poſſe cadere ſimoniam. Ita quod voluntas Pontificis qualiſcumque ea fuerit, ſit regula qua ejus operationes & actiones dirigantur: ex quo proculdubio effici, ut quicquid libeat, id etiam liceat. Ex hoc fonte, ſancte Pater, tanquam ex equo Trojano, irrupere in Eccleſiam Dei tot abuſus & tam graviſſimi morbi, *quibus nunc conſpicimus eam ad deſperationem fere ſalutis laboraſſe, & manaſſe harum rerum famam ad infideles uſque*. Credat Sanctitas veſtra ſcientibus, qui ob hanc præci-

„ pue caussam Christianam Religionem deri-
„ dent, adeo, ut per nos, per nos inquimus,
„ nomen Christi blasphemetur inter gentes.
„ Tu vero, Sanctissime Pater, & vere sanctis-
„ sime, edoctus à Spiritu Dei, præter vete-
„ rem illam tuam prudentiam, quum totus
„ in hanc curam incubueris, ut sanatis ægri-
„ tudinibus, Christi Ecclesia tuæ curæ com-
„ missà bonam valetudinem recuperaret, vi-
„ disti, ac probe vidisti, inde incipiendam
„ medicationem, unde primum ortus est
„ morbus sequutusque doctrinam Apost. Pau-
„ li, *vis esse dispensator, non Dominus:, & fidelis*
„ *inveniri à Domino*, imitatus etiam servum
„ illum, quem in Euangelio Dominus præ-
„ fecit familiæ suæ, ut det illis in tempore
„ stritici mensuram, ac propterea decrevisti
„ nolle quod non liceat, nec vis posse quod
„ non debes. Ideoque nos ad te accersivisti,
„ imperitos quidem ac tam magno negotio
„ impares, non parum tamen affectos cum ho-
„ nori & gloriæ Sanctitatis tuæ, tum præci-
„ pue instaurationi Ecclesiæ Christi, ac gravis-
„ simis verbis injunxisti, ut omnes hos abusus
„ colligeremus, tibique illos significaremus:
„ obtestatus, nos reddituros esse ratione hujus
„ negotii nobis demandati Deo optimo, si
„ negligenter ac infideliter ageremus. Atque
„ ut omnia liberius inter nos tractari possent,
„ tibique à nobis explicari, *jurejurando nos*
„ *distrinxisti, addita etiam excommunicationis*
pœna,

pœna, ne cuipiam aliquid hujus nostri muneris proderemus. Nos igitur tuo Imperio parentes collegimus, quanto paucioribus fieri potuit, hos morbos eorumque remedia, ea, inquam, quæ tenuitate ingenii nostri excogitare potuimus. Tu vero pro tua bonitate, ac sapientia omnia resarcies, ac perficies, in quibus pro tenuitate nostra offenderimus. Verum ut omnia certis quibusdam finibus complectamur, cum Sanct. tua, & sit princeps provinciarum harum quæ subsunt ditioni Ecclesiasticæ, ut sit Pontifex universalis Ecclesiæ, sit etiam Episcopus Romanus, nihil nobis dicendum sumpsimus de his, quæ pertinent ad hunc principatum Ecclesiæ, quem tua prudentia optime regi videmus, tangemus tantum ea quæ pertinent ad *officium universalis Pontificis, & nonnulla quæ sunt Romani Episcopi*. Illud vero ante omnia, beatissime Pater, putamus statuendum esse, ut dicit Aristoteles in Polit. sicut in unaquaque Repub. ita & in hac Ecclesiastica gubernatione Ecclesiæ Christi hanc præ omnibus legem habendam, *ut quantum fieri potest leges serventur*. Nec putemus nobis licere dispensare in legibus, nisi urgenti de causa & necessaria. Nulla namque perniciosior consuetudo in quavis Repub. induci potest, quam hæc legum inobservantia, quas sanctas majores nostri esse voluerunt, earumque potestatem

„ venerandam & divinam appellarunt. Scis „ tu hæc omnia opt. Pont. legisti jampridem „ apud Philosophos & Theologos : illud vero „ non tantum huic proximum, sed longe prius „ & potius superiore putamus, *non licere Pont.* „ *& Christi Vicario in usu potestatis, clavium potestatis inquimus, à Christo ei collatæ, lucrum* „ *aliquod comparare.* Hoc etenim est Christi „ mandatum : Gratis accepistis, gratis date. „ His primum statutis cum Sanct. vestra ita „ gerat curam Ecclesiæ Christi, ut Ministros „ plurimos habeat, per quos hanc curam exer- „ ceat. Hi autem sunt Clerici omnes, quibus „ mandatus est cultus Dei, Presbyteri præser- „ tim, & maxime Curati, & præ omnibus „ Episcopi. Idcirco si gubernatio hæc sit re- „ cte processura, primo danda est opera, ut „ hi ministri idonei sint muneri, quo fungi „ debent.

„ PRIMUS abusus in hac parte est ordinatio „ Clericorum, & præsertim Presbyterorum, „ in qua nulla adhibetur cura, nulla adhibe- „ tur diligentia : quod passim quicunque sint, „ imperitissimi sint, vilissimo genere orti sint, „ malis moribus ornati sint, adolescentes ad- „ mittantur ad Ordines sacros, & maxime ad „ Presbiteratum, ad characterem, inquam, „ Christum maxime exprimentem. Hinc in- „ numera scandala, hinc contemptus ordinis „ Ecclesiastici, hinc divini cultus veneratio „ non tantum diminuta, sed etiam prope jam

ex-

extincta. Ideo putamus optimum fore, si " sanctitas tua primo in hac urbe præficeret " huic negotio duos aut tres Prælatos, viros " doctos, & probos, qui ordinationibus Cle- " ricorum præessent. Injungeret etiam Epi- " scopis omnibus, adhibitis etiam pœnis cen- " surarum, ut id curarent in suis Diœcesibus. " Nec permittat sanctitas vestra ut quispiam " ordinetur, nisi ab Episcopo suo, vel cum li- " centia deputatorum in urbe, ut Episcopi " sui: insuper ut in Ecclesiis suis quisque E- " piscopus Magistrum habeat, à quo Clerici " minores & literis, & moribus instruantur, " ut jura præcipiunt. "

ABUSUS alius maximi ponderis est in col- " latione Beneficiorum Ecclesiasticorum, ma- " xime Curatorum, & præ omnibus Episco- " patuum, in quibus usus invaluit, *ut providea-* " *tur personis quibus conferuntur beneficia, non* " *autem gregi Christi & Ecclesiæ.* Ideo in confe- " rendis his beneficiis, Curatis, inquam, sed " præ aliis Episcopatibus, curandum est ut " conferantur viris bonis, doctisque: ideo ut " per se possint fungi illis muneribus ad quæ " tenentur: insuper illis quos verisimile est re- " sidentiam facturos. Non ergo Italo confe- " rendum est beneficium in Hispania, aut in " Britannia, aut è contra, hoc servandum est " tam in collationibus, quum vacant per de- " cessum, quam in cessionibus, in quibus nunc " tantum habetur ratio voluntatis cedentis "

nul-

„ nullius præterea rei. In cessionibus his, si
„ quispiam præficeretur probus unus pluresve,
„ ve, benefactum iri putaremus.

„ ALIUS abusus, quum beneficia conferuntur,
„ runtur, seu quum ceduntur aliis, irrepsit *in*
„ *constituendis super eorum fructibus, pensionibus.*
„ *Imo quandoque cedens beneficio, omnes sibi fru-*
„ *ctus reservat* Qua in re illud est animadvertendum,
„ tendum, nulla alia de causa, nulloque alio
„ jure pensiones constitui posse, nisi ut quasdam
„ dam eleemosynas, quæ in pios usus & indi-
„ gentibus concedi debent. *Nam redditus sunt*
„ *annexi beneficio, ut corpus animæ*: ideo sua na-
„ tura pertinent ad eum, qui beneficium ha-
„ bet, ut possit ex eis vivere honeste pro suo
„ ordine, simulque queat sustinere impensas
„ pro divino cultu & Templi, sacrarumque
„ ædium reparatione, ut quod reliquum est,
„ impendat in pios usus. Hæc est enim natura
„ eorum reddituum. Verum sicuti in rerum
„ naturæ administratione nonnulla fiunt à na-
„ tura particulari præter inclinationem uni-
„ versalis naturæ: Sic in Pontifice, quoniam
„ est universalis dispensator bonorum Eccle-
„ siæ, si viderit eam fructuum portionem, quæ
„ in pios usus expendi debet, aut ejus partem
„ in pium quempiam alium usum, ut expen-
„ datur, magis expedire, potest proculdubio
„ id facere. Ideo jure merito pensionem po-
„ nere potest, ut subveniat egeno, præsertim
„ Clerico, ut honeste queat vitam ducere pro
ejus-

ejuſdem ordine. Ideo omnes fructus reſervari, adimique id omne quod divino cultui, ſuſtentationique habentis beneficium tribui debet, magnus eſt abuſus. Itemque penſiones dari Clericis divitibus, qui commode & honeſte vivere queunt ex redditibus quos habent, magnus certe abuſus, tollendus uterque.

ALIUS item abuſus in permutationibus beneficiorum, quæ fiunt cum pactionibus, quæ ſimoniacæ omnes ſunt, nulloque reſpectu habito niſi lucri.

ABUSUS alius omnino auferendus, qui calliditate quadam nonnullorum peritorum jam invaluit in hac Curia, nam quum lege cautum ſit, beneficia teſtamento legari non poſſe, quum non ſint teſtatoris, ſed Eccleſiæ, & ut res hæc Eccleſiaſtica ſervaretur communis bonorum omnium, non autem fieret privata cujuſpiam, invenit humana non tamen Chriſtiana induſtria, plurimos modos, quibus huic legi illudatur.

Nam fiunt renuntiationes Epiſcopatuum, aliorumque beneficiorum primo cum regreſſu, *addunt reſervationem fructuum, addunt reſervationem collationis beneficiorum.* Inſuper cumulant reſervationem adminiſtrationis, faciuntque hoc pacto Epiſcopum, qui nullum jus habet Epiſcopi: alterum vero cui jura omnia Epiſcopi competant: non tamen Epiſcopum.

" Videat Sanctitas tua, quo processit assentatoria illa doctrina, qua tandem effectum est, ut id liceat, quod libeat. Quid quæso est hoc nisi hæredem beneficii sibi constituere. Alius præter hunc inventus est dolus, quum scilicet Coadjutores dantur Episcopis petentibus, minus idonei, quam ipsi sint, ita ut nisi quispiam claudere oculos voluerit, liquido videat hæredem ea ratione institui.

" ITEM lex est antiqua instaurata à Clemente, ne filii Presbyterorum habeant parentum beneficia, ne scilicet res communis hoc modo fiat privata : dispensatur tamen (ut audivimus) in hac veneranda lege. Noluimus tacere, id quod verissimum esse quivis prudens per se judicaverit, nullam rem magis conflasse hanc invidiam Clericis, unde tot seditiones sunt ortæ, & aliæ instant, quam hanc aversionem commodorum & proventuum Ecclesiasticorum à communi ad rem privatam : ante hac omnes sperabant, nunc in desperationem adducti, acuunt linguas contra hanc sedem.

" ALIUS abusus est in expectativis reservationibus beneficiorum, quibus & datur occasio, ut aliena mors desideretur, & libenter audiatur. Præcludunt etiam aditum supremum dignioribus quum vacant, dant litibus caussam. Omnes has putamus tollendas esse.

ABUSUS

ABUSUS alius eſt, eadem callıditate in- ‘
ventus. Nam quædam beneficia incompa- ‘
tibilia jure ſunt & appellantur, quæ ex ipſa “
vi nominis majores noſtri admonere nos vo- “
luerunt, non deberi ea uni conferri: nunc “
in his diſpenſatur, non tantum duobus, ſed “
pluribus: & quod pejus eſt, in Epiſcopati- “
bus. Hunc morem, qui ob avaritiam tan- “
tum invaluit, tollendum ducimus, præſer- “
tim in Epiſcopatibus. Quid de unionibus “
beneficiorum ad vitam unius, ne ſcilicet “
obſtet illa beneficiorum pluralitas ad obti- “
nenda incompatibilia, nonne eſt mera fraus “
legis. “

ALIUS etiam abuſus invaluit, ut Reve- “
rendiſſ. Cardin. Epiſcopatus conferantur “
ſeu commendentur, non unus tantum, ſed “
plures: quem, Pater Beatiſſime, putamus “
magni eſſe momenti in Eccleſia Dei. Primo “
quidem, quia officium Cardinalatus, & of- “
ficium Epiſcopi incompatibilia ſunt. Nam “
Cardin. eſt *aſſiſtere Sanct. tuæ pro gubernanda* “
univerſali Eccleſia: officium autem Epiſcopi “
eſt paſcere gregem ſuum, quod præſtare “
bene & ut debet haud poteſt, niſi habitet “
cum ovibus ſuis, ut paſtor cum grege. Præ- “
terea, Pater ſancte, hic uſus maxime obeſt “
exemplo. Quomodo namque hæc ſancta “
Sedes poterit dirigere & corrigere aliorum “
abuſus, ſi in præcipuis ſuis membris abuſus “
non tollerentur? Nec ob id quod Cardina- “

„ les ſint, putamus eis magis licere tranſgredi
„ legem: imo longe minus. Horum enim vita
„ debet eſſe aliis lex, nec imitandi ſunt Pha-
„ riſæi, qui dicunt & non faciunt: ſed Chri-
„ ſtus Salvator noſter incepit facere, & poſtea
„ docere. Amplius hic uſus nocet in conſul-
„ tationibus Eccleſiæ, nam hæc licentia fo-
„ mentum eſt avaritiæ. Ambiunt præterea
„ Cardin. *à regibus & principibus Epiſcopatus, à*
„ *quibus poſtea dependent, ne poſſint libere ſenten-*
„ *tiam dicere*, imo ſi poſſent & vellent, falle-
„ rentur tamen paſſione animi in judicando
„ perturbati. Ideo utinam hic mos tolleretur
„ & provideretur Cardinalibus ut poſſent ho-
„ neſte pro dignitate vivere omnibus æquales
„ redditus: quod putamus facile fieri poſſe, ſi
„ vellemus abjicere ſervitutem Mammonæ, &
„ Chriſto tantum ſervire.
„ His caſtigatis, quæ pertinent ad conſti-
„ tuendos tibi miniſtros, quibus veluti inſtru-
„ mentis & cultus Dei bene adminiſtrari &
„ populus Chriſtianus in vita Chriſtiana bene
„ inſtitui & regi poſſit, accedendum nobis eſt
„ ad illa quæ ſpectant ad gubernationem
„ Chriſtiani populi. In qua re, Pater beatiſſi-
„ me, abuſus ille primo & præ omnibus cor-
„ rigendus eſt, ne ſcilicet Epiſcopi primum
„ & præ omnibus aliis, deinde ne Curati abeſ-
„ ſent à ſuis Eccleſiis & Parochiis, niſi ob gra-
„ vem aliquam cauſſam, ſed reſidentiam face-
„ rent: maxime Epiſcopi, ut diximus, quia ſunt
ſponſi

ſponſi Eccleſiæ ipſis demandatæ. Nam per "
Deum immortalem, quis miſerabilior viro "
Chriſtiano conſpectus eſſe poteſt Chriſtia- "
num orbem peragranti, quam hæc ſolitudo "
Eccleſiarum? Omnes fere paſtores receſſe- "
runt à ſuis gregibus, commiſſi ſunt omnes "
fere mercenariis. Imponenda ergo eſſet ma- "
gna pœna Epiſcopis præ aliis, deinde Cura- "
tis, qui abſunt à ſuis gregibus, non tantum "
cenſurarum, ſed etiam ne reciperent reddi- "
tus illi qui abſunt, niſi impetrata licentia à "
tua Sanctitate Epiſcopi, Curati ab Epiſco- "
pis ſuis per breve aliquod temporis ſpatium. "
Legantur in hoc aliqua jura, aliquorum "
Conciliorum decreta, quibus cautum erat "
Epiſcopo non licere abeſſe à ſua Eccleſia, "
niſi tribus tantum Dominicis. "

ABUSUS etiam eſt, quod tot Reverendiſ- "
ſimi Cardinales abſint ab hac Curia, nec ali- "
qua in parte faciant quidpiam ejus officii, "
quod ſpectat ad Cardinalem. Ideo & ſi for- "
taſſe non omnes, quia expedire exiſtimamus "
nonnullos habitare in provinciis ſuis, nam "
per illos tanquam per radices quaſdam in to- "
tum orbem Chriſtianum ſparſas continen- "
tur populi ſub hac Romana ſede: plurimum "
tamen eſſet Sanct. tuæ vocare ad curiam, ut "
hic reſiderent. Hac enim ratione præter- "
quam quod fungerentur officio ſuo Cardi- "
nalibus, provideretur etiam amplitudini "
Curiæ, ſuppleretur que ſi quid ei detractum "
fuiſſet

„ fuiſſet per receſſum multorum Epiſcopo-
„ rum, qui ad ſuas Eccleſias ſe contuliſſent.
„ ALIUS abuſus magnus, & minime tole-
„ randus: quo univerſus populus Chriſtianus
„ ſcandalizatur, eſt ex impedimentis quæ in-
„ feruntur Epiſcopis in gubernatione ſuarum
„ ovium, maxime in puniendis ſceleſtis &
„ corrigendis. Nam primo *multis viis eximunt*
„ *ſe mali homines, præſertim clerici à juriſdictione*
„ *ſui ordinarii.* Deinde ſi non ſint exempti,
„ confugiunt ſtatim ad pœnitentiam, vel ad
„ Datariam, ubi confeſtim inveniunt viam
„ impuritati, & quod pejus eſt ob pecuniam
„ præſtitam. Hoc ſcandalum, beatiſſime Pa-
„ ter, tantopere conturbat Chriſtianum po-
„ pulum, ut non queat verbis explicari. Tol-
„ lantur, obteſtamur Sanct. tuam per ſangui-
„ nem Chriſti, quo redemit ſibi Eccleſiam
„ ſuam, eamque lavit eodem ſanguine. Tol-
„ lantur hæ maculæ, quibus ſi daretur qui-
„ ſpiam aditus in quacumque hominum Re-
„ publica, aut regno, confeſtim aut paulo
„ poſt in præceps rueret, nulloque pacto diu-
„ tius conſtare poſſet: & tamen putamus no-
„ bis licere, ut per nos in Chriſtianam Rem-
„ publicam inducantur hæc monſtra.
„ * ALIUS abuſus corrigendus eſt in ordi-
„ nibus religioſorum, quod adeo multi de-
„ formati ſunt, ut magno ſint ſcandalo ſæcu-
„ laribus, exemploque plurimum noceant.
Con-

* Hic intelligitur de religioſis non reformatis.

Conventuales ordines abolendos esse putamus omnes, non tamen ut alicui fiat injuria, sed prohibendo ne novos possint admittere. Sic enim sine ullius injuria cito delerentur, & boni religiosi eis substitui possent. Nunc vero putamus optimum fore si omnes pueri qui non sunt professi, ab eorum monasteriis repellerentur.

Hoc etiam animadvertendum & corrigendum censemus in prædicatoribus & confessoribus constituendis à fratribus, quod ab eorum præfectis primum adhiberetur magna diligentia, nt idonei essent : deinde ut præsentarentur Episcopis, quibus præ omnibus cura Ecclesiæ est demandata, à quibus examinarentur per se, vel per viros idoneos, nec nisi eorum consensu admitterentur ad hæc peragenda.

DIXIMUS, Beatissime Pater, non licere aliquo pacto in usu clavium aliquid lucri utenti comparari, est in hac re firmum verbum Christi : GRATIS ACCEPISTIS, GRATIS DATE. Hoc non tantum ad Sanct. tuam pertinet, sed ad omnes qui sunt participes hujus potestatis : ideo à Legatis & Nuntiis vellemus idem servari. Nam sicut usus qui nunc invaluit, dedecorat hanc sedem, & conturbat populum, ita si fieret econtra, maximum decus huic sedi compararetur & ædificaretur mirifice populus.

ABUSUS alius turbat Christianum populum

„ lum in Monialibus, quæ ſub cura fratrum
„ conventualium, ubi in pleriſque monaſteriis
„ fiunt publica ſacrilegia cum maximo Ci-
„ vium ſcandalo. Auferat ergo Sanct. veſtra
„ omnem eam curam à conventualibus, eam-
„ que det aut Ordinariis aut aliis, prout me-
„ lius videbitur.
„ ABUSUS magnus & pernicioſus eſt in gy-
„ mnaſiis publicis, præſertim in Italia, in qui-
„ bus multi Philoſophiæ Profeſſores impieta-
„ tem docent. Imo in templis fiunt diſputa-
„ tiones impiiſſimæ : & ſi quæ ſunt piæ, tra-
„ ctantur in eis res divinæ coram populo valde
„ irreverenter. Ideo putaremus indicendum
„ Epiſcopis ubi ſunt publica gymnaſia, ut per
„ eos admonerentur lectores qui legunt, ne
„ docerent adoleſcentes impietatem, ſed o-
„ ſtenderent infirmitatem luminis naturalis
„ in quæſtionibus pertinentibus ad Deum, ad
„ mundi novitatem vel æternitatem, & ſimi-
„ lia; eoſdem ad pietatem dirigerent. Simi-
„ liter ne permitterent fieri publicas diſputa-
„ tiones de hujuſmodi quæſtionibus, neque
„ etiam de rebus Theologicis, quæ certe mul-
„ tum exiſtimationis perdunt apud vulgus:
„ ſed privatim de his rebus fiant diſputatio-
„ nes, publice de aliis quæſtionibus Phyſicis.
„ Idemque injungendum eſſet omnibus aliis
„ Epiſcopis, maxime inſignium civitatum, in
„ quibus hujus generis diſputationes fieri ſo-
„ lent. In impreſſione etiam librorum eadem
ad-

adhibenda esset diligentia, scribendumque "
principibus omnibus, ut caveant ne passim "
quivis libri in eorum ditione imprimantur. "
Dandaque esset hujus rei cura ordinariis. Et "
quoniam pueris in ludis solent nunc legi "
Colloquia Erasmi in quibus multa sunt quæ "
rudes animos informant ad impietatem; "
ideo eorum lectio in ludis litterariis prohi- "
benda esset, & si qua alia sunt hujus ordinis. "
Post hæc quæ ad instituendos ministros "
tuos in hac universalis Ecclesiæ cura & in "
ejus deinde administratione spectare viden- "
tur, animadvertendum est ingratiis quæ "
fiunt à tua beatitudine præter priores abu- "
sus, alios quoque abusus introductos esse. "
PRIMUS est in fratribus seu religiosis apo- "
statis qui post votum solemne à sua religio- "
ne recedunt, impetrantque ne teneantur "
gerere habitum sui ordinis. Imo nec vesti- "
gium habitus, sed tantum vestem honestam "
clericalem. Prætermittamus nunc de lucro. "
Jam enim diximus in principio, non licere "
ex usu clavium & potestatis à Christo tradi- "
tæ comparare sibi lucrum, sed etiam ab hac "
gratia abstinendum. Nam habitus est si- "
gnum professionis, unde nec ab Episcopo "
potest dimitti, cui tenentur hi apostatæ: "
ideo hæc gratia eis concedi non deberet, "
neque etiam quum ipsi recesserint à voto "
quo Deo se obligarant, eis permittatur ut "
habeant beneficia, neque administrationes. "

ALIUS

„ Alius abusus in quæstuariis Sancti Spi-„ ritus, Sancti Antonii, aliisque hujus gene-„ ris: qui decipiunt rusticos & simplices, eos-„ que innumeris superstitionibus implicant: „ tollendos hos quæstuarios censemus.

„ Abusus alius in dispensatione cum con-„ stituto in sacris ordinibus, ut possit uxorem „ ducere, hæc dispensatio non esset ulli dan-„ da, nisi pro conservatione populi cujuspiam „ vel gentis, ubi esset publica caussa gravissi-„ ma: præsertim his temporibus, in quibus „ urgent Lutherani hanc rem maxime.

„ Abusus in dispensatione in nuptiis inter „ consanguineos, seu affines: certe in secun-„ do gradu non putamus faciendam esse, nisi „ ob publicam caussam gravem. In aliis vero „ gradibus non nisi ob causam honestam, & „ absque pecunia, ut diximus, nisi jam prius „ conjuncti essent, ubi liceret pro absolutio-„ ne à peccato jam perpetrato imponi mulcta „ pecuniaria post absolutionem, & deputari „ ad pios usus, in quibus facit Sanct. tua im-„ pensas. Nam sicut ubi non est peccatum in „ usu Clavium, nihil exigi potest pecuniæ: „ ita ubi absolutio petitur à peccato imponi „ mulcta pecuniaria potest, & deputari ad pios „ usus.

„ Abusus alius in absolutione Simoniaci, „ pro dolor, quantum in Ecclesia Dei regnat „ hoc pestilens vitium, adeo, ut quidam non „ vereantur Simoniam committere, deinde

con-

confeſtim petunt abſolutionem à pœna. Imo "
eam emunt, ſicque retinent beneficium "
quod emerunt. "

Non dicimus Sanct. tuam non poſſe pœ- "
nam illam, quæ eſt de Jure poſitivo conſti- "
tuta, eis condonare: ſed quod nullo pacto "
debeat, ut tanto ſceleri reſiſtatur quo nul- "
lum perniciofius, nec magis ſcandaloſum. "

Licentia etiam teſtandi clericis de bonis "
Eccleſiæ non eſſet danda, niſi pro cauſa "
urgenti: ne bona pauperum converteren- "
tur in privatas delicias & amplificationes "
domorum. "

Confeſſionalia autem cum uſu altaris' por- "
tatilis non eſſent facile danda, ſic enim vile- "
ſcunt Eccleſiaſticæ res, & Sacramentum "
omnium præcipuum. Nec indulgentiæ "
item dandæ eſſent, niſi ſemel in anno in "
unaquaque inſignium civitatum. Commu- "
tatio etiam votorum neque ita facile facien- "
da, neque commutanda, præterquam in "
æquivalens bonum. "

Conſuevere etiam mutari voluntates ul- "
timæ teſtatorum, qui ad pias cauſſas legant "
quampiam pecuniæ ſummam, quam au- "
thoritate San. tuæ transferunt ad hære- "
dem vel legatarium, ob prætenſam pau- "
pertatem, &c. idque ob lucrum, Certe "
niſi facta ſit magna mutatio in re fami- "
liari hæredis per obitum teſtatoris, ita quod "
veriſimile ſit teſtatorem ob eam mutatio- "

 nem "

„ nem mutaturum fuiſſe voluntatem, volun-
„ tates teſtatorum mutari impium eſt. De lu-
„ cro jam toties diximus, quare putamus o-
„ mnino abſtinendum.

„ Omnibus in ſumma explicatis, quæ per-
„ tinent ad univerſalis Eccleſiæ Pont. quan-
„ tum animo potuimus comprehendere, re-
„ ſtat ut non nulla dicamus, quæ pertinent
„ ad Rom: Epiſcopum. Hæc Romana civitas
„ & Eccleſiæ mater eſt & magiſtra aliarum
„ Eccleſiarum. Ideo maxime in ea vigere de-
„ bet divinus cultus & morum honeſtas. I-
„ deo, beatiſſime pater, ſcandalizantur o-
„ mnes exteri qui ingrediuntur templum B.
„ Petri, ubi Sacerdotes quidam ſordidi, igna-
„ ri, induti paramentis & veſtibus quibus nec
„ in ſordidis ædibus honeſte uti poſſent, miſ-
„ ſas celebrant. Hoc magnum eſt omnibus
„ ſcandalum, ideo injungendum eſt Reve-
„ rendiſſ. Archi-Presbitero, vel Reverendiſſ.
„ Pœnitentiario ut hæc curent, & amoveant
„ hoc ſcandalum: ſicque in aliis Eccleſiis.

„ In hac etiam urbe meretrices ut matro-
„ næ incedunt per urbem, ſeu mula vehun-
„ tur: quas aſſectantur de media die Nobiles
„ familiares Cardinal. clericique. Nulla in
„ urbe videmus hanc corruptionem, præter-
„ quam in hac omnium exemplari: habitant
„ etiam inſignes ædes: corrigendus etiam hic
„ turpis abuſus.

„ Sunt etiam in hac urbe privatorum ci-
vium

vium odia & inimicitiæ, quas componere "
& cives conciliare præcipue intereſt Epi- "
ſcopi: ideo per Cardinal. quoſdam Romam. "
præſertim qui magis eſſent idonei omnes "
hæ inimicitiæ componendæ eſſent, & ci- "
vium animi conciliandi. "

Sunt in hac urbe hoſpitalia, ſunt pupilli, "
ſunt viduæ. Harum cura maxime pertinet "
ad Epiſcopum, & ad Principem. Ideo "
Sanct. tua per Cardinales viros probos "
poſſet etiam commode hæc omnia cu- "
rare. "

Hæc ſunt, beatiſſime pater, quæ in "
præſentia pro tenuitate ingenii noſtri col- "
ligenda eſſe duximus, & quæ nobis corri- "
genda viderentur. Tu vero pro tua bonita- "
te & ſapientia omnia moderabere: nos cer- "
te *ſi non rei magnitudini, quæ noſtras vires ſu-* "
perat, conſcientiæ tamen noſtræ ſatis fecimus: "
non ſine maxima ſpe, ut ſub te principe vi- "
deamus Eccleſiam Dei purgatam, formo- "
ſam ut columbam, ſibi concordem, in u- "
num corpus conſentientem, cum æterna "
tui nominis memoria. Sumpſiſti tibi nomen "
Pauli, imitaberis, ſperamus, charitatem "
Pauli: electus fuit ille ut vas, quod defer- "
ret nomen Chriſti per gentes. Te vero ſpe- "
ramus electum, ut nomen jam Chriſti obli- "
tum à Gentibus & à nobis clericis reſtituas "
in cordibus & in operibus noſtris, ægritu- "
dines ſanes, oves Chriſti in unum ovile re- "

 ducas,

„ ducas, amoveasque à nobis iram Dei & ul-
„ tionem eam, quam meremur, jam para-
„ tam, jam cervicibus nostris imminentem.

Nomina Cardinalium.

„ *Gaspar Card. Contarenus.*
„ *Joh. Petrus Card. Theatinus, postea Paulus IV. PP.*
„ *Jacobus Card. Sodeletus.*
„ *Reginaldus Polus Card. Anglicus.*
„ *Fredericus Archiep. Solernitanus.*
„ *Hieronymus Archiepisc. Brundusinus.*
„ *Joh. Matthæus Gibertus Episc. Veronensis.*
„ *Gregorius Cortesius Abbas sancti Georgii Venet.*
„ *Frater Tomas Magister Sacri Palatii.*

Extraict des Registres de la Cour.

„ VEu par la Cour les Lettres obtenuës par Melchior
„ Mondiere, Marchand Labraire à Paris, le 3 A-
„ vril 1612. signé par le Conseil BUYER, portant
„ permission d'imprimer, où faire imprimer vendre, &
„ debiter, tant an Latin, qu'en François, un livre in-
„ titulé *Acta & constitutiones facta in diversis sessionibus*
„ *Sacri generalis Concilii Pisani*, avec les augmentations
„ qu'il pourra recouvrer pendant six ans, avec deffen-
„ ces à tous autres Libraires, où Imprimeurs, de l'impri-
„ mer, où faire imprimer, vendre n'y debiter autre que
„ de ceux dudict Mondiere, où ceux qui auront droict de
„ luy, ny en amener aù faire amener dehors le Royaume
„ soubs nom interpose, & marques fausses ny en tenir
„ d'autres, à peine de mil livres d'amande pour chacun
„ exemplaire qui se trouvera, & autres mil livres moy-
tie

tie à nous & l'autre moytié aux pauvres de l'Hostel "
Dieu de Paris, Requeste presentee afin d'enterine- "
ment desdictes Lettres: Conclusions du Procureur du "
Roy, tout consideré ladicte Cour enterinant lesdictes "
ordonne que l'impetrant joüira du contenu en icelles "
selon leur forme & teneur. Faict en Parlement le 17. "
d'Avril. 1612.

Signé VOYSIN.

V. Verum qua fide & integritate ipsemet Paulus III. & qui eum dehinc sequuti sunt Pontifices Romani hos Articulos super Ecclesiæ reformandæ necessitate conceptos servarit, ipse usus & acta Synodi Tridentinæ, de quibus postea, clarissime docent. Porro bacchante Lutheranismo, Franciscus Galliæ Rex ejusque mater, quorum literæ in tabulario Facultatis Theologiæ Pariensis asservantur, Collegium Theologorum Parisiensium consuluerunt, ecquid optimum factu censerent contra Hæreses ita grassantes: Responsumque à Theologis, universos Galliæ Cives, in unam fidei profitendæ normam sedulo adigendos: nascentia Schismata priusquam adolescerent aut longius dimanarent in ipsis auctoribus, fautoribus, & libris opprimenda: ac diligenter providendum quatenus omnes Galliarum Præsules suo gregi pascendo seipsis non per operam Vicariam assidue excubarent. Interea dum ne quis sacri ordinis Theologorum operam hac in parte desideraret, Facultas Theologica Anno 1512. & 1522. o-

omnes Lutheri, aliquot Melanchtonis, & aliorum auctorum suspectorum libros nota Censoria inussit: & Anno 1523. à Parlamento impetravit, ut istorum librorum usus Franciæ incolis interdiceretur. Cum autem Germani instanter pro Concilii liberi celebratione decertarent, Paulus III. Franciscum Regem rogavit ut se medium ad Principes Germaniæ ad Concordiam alliciendos interponeret. Quapropter Franciscus pro suo in Religionem Catholicam studio, virum clarissimum & doctissimum Gulielmum Bellaium Langæum frequenter misit in Germaniam, ubi aliquot Articulos de ratione sedandorum dissidiorum à Philippo Melanchtone, Bucero, & aliis Protestantibus accepit & ad regem retulit: Rex autem continuo Parisiensibus Theologis memoratos Articulos misit: quorum exemplum cum Regis & Gulielmi Bellaii literis in tabulario Facultatis extant: hæcque est summa Articulorum. *De potestate Papæ: de traditionibus humanis: de jejunio & castigatione Carnis & ciborum delectu: de cultu sanctorum & eorum imaginibus: de Missa: de Sacramento Eucharistiæ: de communione sub utraque specie: de confessione Auriculari: de Justificatione: de Fide & Operibus: de Monasteriis, votis Monachorum & cœlibatu: de Sacerdotum conjugio: de Parentalibus & Missis pro Defunctis: de Purgatorio & Libero arbitrio.* Cum autem in exordio ejusmodi Articulorum Germani

cau-

cauſarentur, Catholicos in hanc debere curam invigilare, ut S. Auguſtinum mitiſſimo ingenio virum imitarentur, quem minime puderat libros retractationum ſcribere: ac proinde neminem pigere oportere, ſi quando ſua recognoſceret atque emendaret, &c. Theologi Pariſienſes ubi per multos dies hujuſmodi Articulis tum inter viros ſelectos, tum in publicis Comitiis examinandis inſumpſerunt: Magiſtros Joannem Balluë atque Robertum Bonchini cum his mandatis ad Regem miſerunt.

Primum quod ex Germanorum poſtulatis liqueret, Melanchtonem cum aſſeclis non tam ſtudio ad Eccleſiam accedendi, quam Catholicos avertendi & ad ſuas partes avocandi hanc ſuam de Eccleſia concordanda Symbolam conferre: quippe qui in limine Articulorum quos conceperant flagitent à Catholicis, ne eos majorem ſuorum Inſtituta & Sacros Eccleſiæ ritus exemplo Auguſtini retractare pigeat. Quo ſemel dato neceſſium eſſe Populum Chriſtianum à majorum ſuorum ſacris deſciſcentem jugiter in Religione fluctuare, ac ubique terrarum, ſicut in Germania, plebem omni vento doctrinæ circumagitatam jurgia ex jurgiis, Schiſmata ex Schiſmatibus & conſequenter Bella Civilia certatim miſcere & conſerere.

Secundo libros retractationum Auguſti-

„ ni, quos Germani suo errori tegendo spe-
„ ciose prætexebant, toto Cœlo à re dissi-
„ dere: maxime vero quod esset notissimum,
„ S. Augustinum, ut privatum & singula-
„ rem Ecclesiæ Doctorem, multas privatas &
„ singulares de nonnullis Scripturæ locis im-
„ bibisse opiniones, easque re consideratius
„ perpensa, merito emendasse aut penitus
„ delevisse. Cæterum Ecclesiæ Catholicæ
„ dogmata, instituta, & ritus, cum unius
„ hominis aut nationis judicio non inoleve-
„ rint, sed omnium gentium Christianarum
„ consensione ab omni hominum & seculo-
„ rum memoria in Ecclesia Catholica invete-
„ rarint, his temporibus absque summa Im-
„ pietate & Schismatis periculo abrogari aut
„ immutari nullo modo posse.

„ Tertio, hucusque frequentes habitos
„ Conventus & Diætas in Germania pro Ec-
„ clesia Concordanda: nihilominus homines
„ magis ac magis in sese invicem exasperatos
„ indé semper decessisse: atque Apostolum
„ Spiritu Prophetico docuisse, Colloquia &
„ disputationes cum Hæreticis nihil quic-
„ quam aliud præter quasdam quæstiones &
„ verborum pugnas, invidias, contentiones,
„ blasphemias & suspiciones malas generare,
„ prioris ad Timothæum VI.

„ Quarto, frustra Doctores Germaniæ de
„ Concordanda Ecclesiæ scribere: Cum ex
„ isto suo præclaro Narthecio & medicamine
nul-

nullam salutem aut pacem suis popularibus "
promere hucusque valuerint. "

Quinto, proclive esse illorum proposi- "
tum & venenum latens detegere : si modo "
Rex Christianissimus illorum sententiam "
super Articulis sequentibus petere non gra- "
vetur. "

Et primum, *quoniam inter eos qui de re aliqua dissident ante omnia de certis quibusdam atque indubitatis principiis convenire oportet : petendum esse, an cunctos Libros sacris Bibliorum voluminibus contentos pro sacrosanctis & Catholicis habeant.*

Secundo, utrum confiteri velint Ecclesiam militantem à Christo Domino institutam, in fide & bonis moribus errare non posse : & ad unitatem fidei retinendum pro visibili externo & ministeriali Capite B. Petrum cum suis successoribus sub Christo Domino interno atque essentiali Capite jugiter habuisse.

Tertio, an velut Ecclesiæ filii, Ecclesiæ Catholicæ parentis & Conciliorum generalium scita cum Pontificum Romanorum Constitutionibus ab Ecclesia probatis atque receptis amplecti velint.

Quarto, Num bonas & laudabiles Ecclesiæ consuetudines tanquam certissima fomenta & adminicula pietatis jampridem à majoribus receptas comprobent.

Quinto, utrum pro sacrorum Bibliorum & antiquorum rituum Ecclesiæ intelligentia & explicatione veteres Ecclesiæ Patres Doctores tum Græ-

cos, tum Latinos, Hieronymum, Ambrosium, Augustinum, Gregorium, Basilium, Chrysostomum, omnesque alios admittere velint.

Quas Scholæ Sorbonicæ suasiones gratissimas & acceptissimas fuisse Principi liquet ex ejusdem literis ad facultatem Anno 1535. die XXVI. Augusti: quæ extant in tabulario Facultatis.

At vero cum Paulus III. diem de die in indicendo Concilio pro Ecclesiæ emendatione deduceret: & Schisma in 7 dies vehementius grassaretur. Theologi Parisienses compendium Catholicæ Doctrinæ viginti quinque Articulis Anno 1542. complexi sunt, eosque Regi obtulerunt, qui ut à Prælatis Franciæ comprobarentur Conventus Molodini ad Sequanam indixit, & dehinc edicto suo illos auctoravit quod Senatusconsulto Parlamenti in rem judicatam abiit: Cautumque est, ut omnes Galliarum Incolæ ad hanc fidei regulam profiterentur: quæ quidem summam eorum continet quæ aliquanto post à Patribus Tridentinis pro doctrina fidei Catholicæ vindicanda, multorum annorum intervallo definita sunt.

Ar-

Articuli Fidei ſacræ Facultatis Theologiæ Pariſienſis.

Decanus & Facultas Theologiæ Pariſienſis, omnibus in Chriſto ſalutem.

VI. CUM hodie per concionatorum in aſſerendis dogmatibus altercationem videamus pleroſque fidelium, juxta id quod Epheſiis ſcribit Paulus, tanquam parvulos fluctuantes, ad omnem ventum cujuſvis doctrinæ circumferri, & agitari: noſtra autem interſit, quantum in nobis erit, diſſidentes opinionum fluctus componere: de ſanctiſſimo Chriſtianiſſimi Regis propoſito abunde perſuaſi, quidnam circa Articulos hodie à pleriſque controverſos, & Chriſtianis Doctoribus, & concionatoribus prædicandum; & cæteris Chriſti fidelibus, cum univerſa Eccleſia, ſit credendum, paucis hoc ordine viſum eſt adnotare.

I.

Certa & firma fide credendum eſt, Baptiſma, omnibus etiam parvulis, ad ſalutem neceſſarium eſſe: ac per ipſum dari gratiam Spiritus Sancti.

II.

Eadem fidei conſtantia eſt tenendum, homini ineſſe liberum arbitrum, quo poteſt bene vel male agere: & per quod, etiamſi in

„ in peccato mortali fuerit, Deo adjuvante,
„ ad gratiam resurgere valet.

„ III.

„ Nec minus certum est, adultis & ratione
„ utentibus, post peccatum mortale admis-
„ sum, necessariam esse Pœnitentiam: quæ
„ in Contritione, & Confessione sacramen-
„ tali, vocaliter Sacerdoti facienda, similiter
„ & Satisfactione consistit.

„ IV.

„ Ad hæc, Peccatorem non sola fide, sed
„ & bonis operibus justificari; quæ adeo ne-
„ cessaria sunt, ut sine illis nemo adultus vi-
„ tam consequatur æternam.

„ V.

„ Quilibet Christianus tenetur firmiter
„ credere, in consecratione Eucharistiæ,
„ Panem & Vinum in verum Christi corpus
„ & sanguinem: remanentibus tantum Panis
„ & vini speciebus, sub quibus realiter verum
„ Christi corpus continetur, quod ex Virgi-
„ ne natum, & in Cruce passum est.

„ VI.

„ Sacrificium Missæ, est ex Christi institu-
„ tione, valens pro vivis & defunctis.

„ VII.

„ Non est laïcis ad salutem necessaria com-
„ munio sub utraque specie: recteque, cer-
„ tis ac justis de causis, olim ab Ecclesia san-
„ citum est, ut illis sub una tantum panis spe-
„ cie communicetur.

VIII.

VIII.

Porro, ſolis Sacerdotibus, ſecundum Eccleſiæ ritum ordinatis, data eſt à Chriſto poteſtas conſecrandi verum Chriſti corpus: & in foro pœnitentiæ à peccatis abſolvendi.

IX.

Quos certum eſt, etiamſi mali, & in peccato mortali fuerint, conſecrare verum Chriſti corpus, ſiquidem illud conſecrare intendant.

X.

Cæterum, Confirmatio, Matrimonium, & Unctio extrema, ſunt tria Sacramenta à Chriſto inſtituta; per quæ datur gratia Spiritus Sancti.

XI.

Nec dubitandum eſt ſanctos, & in hac mortali vita, & in Paradiſo agentes, aliquando miracula operari.

XII.

Sanctum eſt, & Deo maxime gratum, orare beatam Dei genitricem Mariam, & Sanctos qui in Cœlo ſunt, ut ſint pro nobis advocati, & interceſſores apud Deum.

XIII.

Hi itaque ſancti, beatam cum Chriſto vitam degentes, non ſolum ſunt imitandi, ſed & venerandi, & orandi.

XIV.

„ Ob idque religiose faciunt, qui loca eis „ dicata ex devotione visitant.

„ XV.

„ Si quis in templo, aut extra Templum, „ prius sua oratione ad beatam Virginem, aut „ sanctorum aliquem recurrat quam ad „ Deum, non peccat.

„ XVI.

„ Nec ullo modo addubitandum est, quin „ genu flectere coram imagine Crucifixi & „ beatæ Mariæ, & sanctorum, ad rogandum „ Christum, & sanctos, opus sit bonum, ac „ pium.

„ XVII.

„ Ad hæc, firmiter credendum est, & nul- „ latenus dubitandum Purgatorium esse: in „ quo animæ detentæ, oratione, jejunio, „ eleemosyna, aliisque bonis operibus juvan- „ tur, ut citius liberentur à pœnis.

„ XVIII.

„ Tenetur & quilibet Christianus firmiter „ credere, unam esse in terris universalem „ Ecclesiam visibilem: quæ in fide, & mori- „ bus errare non potest: cui omnes fideles, „ in his quæ sunt fidei, & morum, obedire „ adstringuntur.

„ XIX.

„ Quod si quid in Scripturis Sacris con- „ troversiæ, aut dubii oriatur, ad præfatam „ Ecclesiam definire, & determinare spe- „ ctat.

XX.

XX.

Eſt & certum, multa eſſe credenda, quæ non ſunt expreſſe, & ſpeciatim tradita in Scripturis Sacris; quæ tamen per traditionem Eccleſiæ ſunt neceſſario recipienda.

XXI.

Eodem veritatis firmamento recipiendum, poteſtatem excommunicandi eſſe de jure divino, immediate à Chriſto Eccleſiæ conceſſam: & ob id, magnopere timendas eſſe cenſuras Eccleſiaſticas.

XXII.

Certum eſt, Concilium generale legitime congregatum, univerſalem repræſentans Eccleſiam, in fidei, & morum determinationibus, errare non poſſe.

XXIII.

Nec minus certum, unum eſſe jure divino ſummum in Eccleſia Chriſti militante Pontificem; cui omnes Chriſtiani parere tenentur: qui quidem poteſtatem habet & Indulgentias conferendi.

XXIV.

Conſtitutiones Eccleſiaſticæ, ut de jejunio, de abſtinentia à carnibus, aliiſque, multis, vere obligant in foro conſcientiæ: etiam omni ſecluſo ſcandalo.

XXV.

In eodem conſcientiæ foro vota obligant, etiam monaſtica ſint, perpetuæ ſcilicet continentiæ, paupertatis, & obedientiæ.

XXVI.

XXVI.

„ Inhibet autem Theologorum Facultas, „ iis qui de grege ſuo ſunt Magiſtris, Bacca„ laureis, ac cæteris gradum Theologicum „ nunc, & in poſterum profiteri volentibus; „ ne quoquo pacto, ſupradictis propoſitioni„ bus contraria, aut in concionibus prædi„ cent, aut in lectionibus, vel alibi doceant: „ quin potius, quando ſe materia, & occaſio „ offeret, eas populo ſincere annuntient, & „ aperte declarent.

„ Porro etiam decrevit, ut præfatas pro„ poſitiones, ſinguli Magiſtri & Baccalaurei, „ chirographi ſui appoſitione confirment: „ Et cum in ſuo grege lupos, & immorige„ ros, contentioſoſque alere tutum non ſit, „ qui huic Decreto parere noluerint, & con„ trarias præfatis propoſitiones docuerint, „ aut in poſterum prædicaverint, è ſuo con„ ſortio eximendos in perpetuum privare de„ crevit.

„ Cæterum, quia contradicendi ſtudio, & „ à majorum inſtitutis diſcedendi, plerique „ novarum rerum & doctrinarum ſtudioſi, „ laudabilem illam conſuetudinem, qua per „ interceſſionem beatiſſimæ virginis, Spiritus „ Sancti gratia imploratur, negligunt: mo„ nemus, ne tantopere à ſalutatione illa an„ gelica, quam nobis Euangelium præſcri„ pſit, abhorreant: neve, ut plerique ſolent, „ quoties Domini Salvatoris noſtri *Jeſu Chri-*

ſti

sti mentio occurrerit, salutiferum illud *Jesu* "
nomen, præponere dedignentur, contenti "
dicere, *le Christ*: præsertim, cum teste D. "
Petro, *non sit aliud nomen sub cælo, in quo nos* "
salvari oporteat. "

Similiter, cum Divorum Apostolorum "
Evangelistarum, aut sanctorum Doctorum "
mentio inciderit, ne, uti consueverunt, "
sine ulla honoris præfatione nominent "
Paul, Jacques, Matthieu, Pierre, Hierosme, "
Augustin, &c. neque sit eis grave addere "
vocabulum *Sancti*, & nominare *Sainct Pierre*, *S. Paul, &c.* "

Et postremo, ne defunctorum animas po- "
puli precibus commendare negligant. "

Anno Domini M. D. XLII. die X. men- "
sis Martii, Facultas Theologiæ congrega- "
ta *per juramentum* in Collegio Sorbonæ su- "
per Articulis præcedentibus, probavit hos "
Articulos, sub forma qua scripti sunt: Sic "
signatum, de mandato Domini Decani, & "
Facultatis. *Fournier*, cum parapho. "

Concilii Tridentini Historia.

VII. TAndem igitur aliquando, post incredibiles moras, cunctationes, & fabricas, instante atque perurgente piissimo & sapientissimo Imperatore Carolo V. generale Concilium Tridenti indicitur à Paulo III. & Anno 1545. inchoatur ductuque & auspiciis Pauli Pontificis decem primæ Sessiones cele-

brantur: deinde Anno 1551. ſub Julio III. ſex aliæ Seſſiones habentur: plures enim celebrari non potuerunt, quoniam Julius per integrum biennium Synodi continuationem ſuſpendit, Epiſcopis Hiſpaniæ reclamantibus, ac ejuſmodi ſuſpenſioni intercedentibus. Demum Anno 1562. ſub Pio IV. novem poſtremæ Seſſiones concluduntur & Anno 1563. finis Concilio imponitur. Quæ omnia Acta ſummam viginti quinque Seſſionum efficiunt. Proculdubio à Conſtantini Magni temporibus ad hæc noſtra, in omnibus aliis privatis aut univerſalibus Conciliis, nihil doctius, elegantius & clarius lucubratum magiſque deſideratum eſt à Chriſtianis Nationibus, ſi facta dictis reſpondiſſent: *Ac vera non imputativa & fictitia reformatio Eccleſiæ compacta fuiſſet inſtituta.* Cæterum via & ratio procedendi in hoc ſervata Concilio, quanta quanta, inchota, & continuata eſt ad eorum normam quæ à fautoribus abſolutæ Monrrchiæ ſcribuntur, laudantur à Bellarmino primo de Conciliis & Eccleſia Cap. nono ſub finem: nimirum ut nihil quicquam ulli dicere, proponere aut ſuadere licitum ſit, quod propoſitioni factæ à Legatis Papæ non uſquequaque conſentiat & concordet vide Seſſionem XVII. quæ prima eſt ſub Pio IV. His conceptam verbis: *Placetne celebrari Concilium; & in eo, ea debito ſervato ordine tractari;* PROPONENTIBUS LEGATIS, *ad horum temporum levandas calamitates ſan-*

ſanctæ Synodo apta videbuntur, &c. Nam in Tridentina Synodo, ſolis legatis Apoſtolicæ Sedis permiſſum erat agenda proponere & præſcribere: Idque magno artificio excogitatum eſt confuſionis & turbarum vitandarum ſpecie, ſed revera ut impediretur efficax Eccleſiæ Curiæ Romanæ emendatio. Vult autem Bellarminus loco citato Papam velut abſolutum infallibilem monarcham, leges primum apud ſe & Conſilium ſuum privatum concipere & præſcribere, Concilio duntaxat approbante & conſenſum præbente. Deinde Libro ſecundo Cap. undecimo ejuſdem operis, ait *Legatos Pontificis miſſos Tridentum ſine inſtructione, eo quod tam variæ quæſtiones tractandæ eſſent, ut non poſſet commode ejuſmodi inſtructio haberi:* Ex quo ille perſuadere vult, neceſſum fuiſſe Patribus Tridentinis, ubi ſuam de rebus propoſitis ſententiam dixiſſent mittere Romam, ut obtinerent afflatum Spiritus Sancti ad infallibiliter decernendum. Hocque ipſum Vallius tractat quarta parte Libri ſui de ſuprema poteſtate Papæ, quæſtione ſexta ſtatim initio: *Vel enim*, ait, *Papa Legatos cum inſtructione prævia de eo quod eſt in Concilio definiendum mittit: ut in Conciliis quarto, ſexto & ſeptimo generalibus, ubi id facile factu fuit, quia in his Synodis de unica ſolum quæſtione tractabatur: aliquando vero, abſque ulla inſtructione propter varias & multiplices quæſtiones à Patribus diſcutiendas: neque enim tunc Pontifici promptum eſt*

suam instructionem Legatis tradere : ut nuper in Concilio Tridentino in quo variæ contra Hæreticos quæstiones erant agitandæ, factum fuit : & hæc causa est, cur cum aliquid in eo Concilio esset definiendum, de eo prius certior Pontifex à Legatis fieret ut ab eo instruerentur : ne quid necessarium ad rite definiendum omitterent : Hucusque Vallius & Bellarminus qui videntur obviam ire voluisse rumoribus qui dum Synodus Tridentina celebraretur invaluerant : Scilicet Spiritum Sanctum Roma & Patribus Tridentinis evocari atque Tridentum mitti. Verum hæc illorum Oratio declarat quorsum absolutæ Monarchiæ persuasio evadat : nempe ut nobis animum inducamus Christum divinos afflatus per unum Papam Ecclesiæ largiri. Quod certe regulis à Christo positis & praxi Ecclesiæ primitivæ sub octo primis universalibus Conciliis servatæ omnino adversatur. Enimvero Dominus Matthæi XVIII. suam & Spiritus Sancti opem ac præsentiam non uni cuipiam Monarchæ & singulari Homini, Loco, aut Urbi, Sedi, vel Cathedræ Episcopali, sed duntaxat Congregationi factæ in suo nomine sic pollicetur : *Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo ibi sum in medio eorum, &c.* quo de Textu disputatum est Axiomate XVII. Apologiæ nostræ. Porro Ecclesiæ praxim à Libro primo hujus Historiæ mutuaberis : quo demonstratur omnia in Synodis consensu & communione sanctorum

sua-

ſuaviter inita & collecta decerni ſemper conſueviſſe. Et ita inſurgit, Patres Tridentinos Canonice Congregatos, nihil plane opus habuiſſe ut mitterent Romam petitum illuminationem Spiritus Sancti ad infallibiliter decernendum: cum vi & pondere promiſſionum Chriſti facultas infallibiliter ſtatuendi illis competeret. Porro, hanc novam & ante inauditam rationem procedendi introductam, à Patribus Tridentinis, nemo mirabitur, qui ſciverit Epiſcopos partim deſuetudine habendarum Synodorum & tractandi omnia libere & ſecundum leges Ariſtocratici regiminis, tandem legibus abſolutæ Monarchiæ Pontificis aſſueviſſe: & non auſos temperamentum Ariſtocraticum ad uſum revocare: partim etiam quoniam Pontifices ſedulam operam dederant, ut in Tridentino Concilio Epiſcopi Italiæ triplo ferme aliarum Provinciarum Epiſcopos ſuperarent: ac proinde omnia ex animi ſui arbitrio & Curiæ Romanæ ſtilo, ac placitis, quibus innutriti erant, decernerentur. Nam in editionibus Tridentini Concilii legimus ex ſola Natione Italica *Centum octoginta ſeptem*, *ex aliis vero omnibus* Provinciis & Nationibus ſolummodo octoginta interfuiſſe Epiſcopos. Quocirca Italiæ Epiſcopi, aſſueti dominationi Curiæ Romanæ, toti à nutu Pontificis tanquam abſoluti Monarchæ pendebant. Hercle quidem Joannes Baptiſta Adriani Florentinus qui

 Gui-

Guichardini Historiam continuavit atque magno Duci Hetruriæ erat à Secretis, narrat, Anno 1562. Pium IV ex familia Mediceorum oriundum, vix sibi à magno Duce Hetruriæ cognato suo passum persuaderi, ut ad Synodi celebratinem animum adjungeret: tandemque rationibus Ducis Hetruriæ impulsum, indixisse Concilium Tridenti: atque Universis Italiæ Episcopis imperavisse ut sese illuc conferrent: In eumque usum aliquos etiam de novo citasse Episcopos: sic enim suffragiorum numero se quicquid vellet consequuturum speravit. Magister Claudius Espensæus qui Synodo Tridentinæ interfuit, Commentariis in Epistolam ad Titum, prima digressione aliquanto post initium de hac procedendi ratione ita conqueritur: *Verum hæc sive potestas sive prærogativa & privilegium, cum ut reliqua majores Ecclesiarum causæ penes R. S. hactenus fuerint, factum est posterioribus seculis: ut quod merito in Concilio Basileensi Ludovicus Arelatensis querebatur, in Conciliis demum id fiat & necessario fiat, quod Nationi placeat Italicæ: ut quæ sola Episcoporum qui & ipsi soli vocem illic decisivam habent, numero Nationes alias æquet, aut superet: sicut scripsit Lib. primo de gestis ejus Concilii Æneas sylvius nondum Pius.* HÆC ILLA EST HELENA QUÆ NUPER TRIDENTI OBTINUIT: ait Espensæus, ostendens Curiam Romanam haud ferme aliter Tridenti decertasse ut numero suffragiorum vinceret, quam Græ-

Græcos & Trojanos pro Helena sua : siquidem memorat *in Conciliis id fieri & NECESSARIO FIERI, quod uni placet Italicæ Nationi* : continuoque liberas non esse Synodos frustraque Reformationem Ecclesiæ sperari. Cui malo ut Patres Constantienses & Basileenses occurrerent, merito statuerunt suffragia tributim & nationaliter ferri, ut supra dictum est. Profecto si acta integra Synodi Tridentinæ haberemus, multa nobis Curiæ Romanæ arcana paterent consilia quæ silentio obruuntur.

In hac Synodo, duo rerum genera tractantur : primum dogmatica quæ ad fidem & doctrinam spectant ; de quibus nulla plane inter Catholicos movetur Controversia. Secundo Politica, quæ ad mores disciplinam & gubernationem Ecclesiæ faciunt. Hæc autem à Theologis & Canonistis bipartito dividuntur : Ita ut ex Constitutionibus Politicis, quædam antiquis Conciliis & Canonibus penitus concordent : quædam vero nullo modo, cujusmodi sunt novæ constitutiones quas Curia Romana ad suum privatum commodum & dominatum Monarchicum extorsit. Quod spectat ad Constitutiones Politicas prioris generis, *quia de Canonum disciplinis atque Ecclesiasticis ordinationibus exceptæ sunt*, ab omnibus etiam Catholicis magna ex parte approbantur : secus autem est de novis Constitutionibus. Equidem, Patribus octo primorum Con-

ciliorum generalium super hoc unum propositum legimus, ut Jus commune & regimen Aristocraticum vindicarent ac sartum tectum ad posteros quale ab Apostolis acceperant transmitterent : saltem quantum tempora ferre poterant. Contra Episcopi Italiæ, totis animi & corporis nervis in Synodo Tridentina incubuerunt, ut cuncta negotia Ecclesiastica dehinc ad solum nutum & Curiæ Romanæ Imperium fluerent. Exempli gratia ex Ecclesiæ primitivæ consuetudine & institutis, unusquique Episcopus tanquam unici Sacerdotii atque Episcopatus Christi immediate particeps, suam Diœcesim conformiter ad quintum Canonem Nicænum in solidum moderabatur : neque ullus Christianus ambitu Diœcesis habitabat qui non Episcopo proprio subderetur. Quæ politiæ forma sub octo primis universalibus Conciliis continuavit. At in Tridentina Synodo nova & anteactis temporibus incognita ratio invecta est : qua Romanus Pontifex tanquam absolutus Monarcha, Ecclesiam universalem per Episcopos, *quasi per suos Procuratores, Commissarios, Delegatos*, haud ferme aliter regeret, quam Franciæ Rex, verbi causa, regnum suum per Proreges, Magistratus, atque officiarios potestatem delegatam ab Principe mutuantes gubernat. Quocirca Sessione quinta, Capite primo, & secundo de reformatione : Item Sessione sexta, capite secundo

&

& tertio : Sessione vigesimâ secunda, capite quinto, sexto, & octavo : Item Sessione vigesima quinta, cap. nono quædam velut potestas Delegata omnibus Episcopis in propria Diœcesi residentibus tribuitur à Papa : ut hac ratione sensim novis mandatis absolutam Monarchiam & unicum Episcopum universalem tecte & callide per universum orbem Christianum insinuantibus, assuescere discant : Etenim Curia Romana aut frustra aut gratis nihil unquam facit, sed omnia privato suo commodo modulatur & attemperat. Hic forsan opponet aliquis Tridentinum Concilium delegatam solum tribuere potestatem Episcopis ratione exemptorum & Privilegiatorum qui immediate pendent à sede Apostolica : Respondeo, ita quidem in nonnullis prædictorum Capitum agi de Privilegiatis, sed in aliis secus esse. Præterea hoc etiam dato urgeo ejusmodi exemptiones Privilegiatorum, solo jure humano & ex Ecclesiæ consensu, ne dicam Episcoporum socordia vel ignorantia, inveterasse : atque omnes Episcopos jure divino in solidum tanquam Apostolorum successores potestatem habere supra cunctos Christianos tum Clericos, cum Monachos & laicos finibus suæ Diœcesis contentos. Et Papam excepto primatu, nihil jure divino quo aliis Episcopis antecellat habere, neque eorum auctoritati posse jure derogare. Unde illi Clamores & luctus S. Bernardi, Gre-

gorii VII. seculo, tertio de consideratione ad Eugenium cap. VIII. *Truncari se clamitant ac demembrari, vel nullæ Ecclesiæ vel pauca admodum sunt, quæ plagam istam aut non doleant aut non timeant. Quæris quum substrahuntur Abbates Episcopis, Episcopi Archiepiscopis, Archiepiscopi Patriarchis sive Primatibus: bonane species hæc, nimirum si excusari queat vel opus, &c.* Deinde Cap. X *Tu denique tibi licitum censeas suis Ecclesiis mutilare membris, confundere ordinem, perturbare terminos quos posuerunt Patres tui: Si Justitiæ est jus suum cuique servare suum, auferre cuiquam propria justo quo modo poterit convenire? Erras si ut summam ita & solam institutam à Deo vestram Apostolicam potestatem existimas. Si hoc sentis, dissentis ab eo qui ait: non est potestas nisi à Deo. Proinde quod sequitur, qui potestati resistit Dei ordinationi resistit: Et si principaliter pro te facit, non tamen singulariter. Denique idem ait omnis anima potestatibus sumlitoribus subdita sit. Non ait sublimiori tanquam in uno: Sed sublimioribus tanquam in multis, non ergo tua sola potestas à Domino; sunt & mediocres, sunt & inferiores. Monstrum facis si manui submovens digitum, facis pendere de capite: superiorem manu, brachio collateralem. Tale est si in Christi corpore membra aliter locas quam disposuit ipse Dominus, &c.* Quando igitur Episcopi suam immediate derivant auctoritatem à Deo, sicut ipse Papa; hicque supra illos nihil divinitus, præter primum gradum Sacerdotii

dotii Christi & potestatis Ministerialis spiritualis obtinet: Certe Episcopi jure humano ea potestate quam divinitus habent à Deo privari nequeunt: & si quando huic privationi per vim & errorem assensum præbuerunt hoc non valet, juxta regulam: *Qui errat non consentit.* Adde res sacras & cœlitus constitutas diuturnitate temporis non præscribi ab usurpatoribus, sicut temporalia. Itaque Episcopi quotiescumque voluerint, possunt in integrum restitui si ad juris quæstionem attendamus: de vi autem & facto non disputamus.

Insuper dignum notatione occurrit, Episcopos Italiæ ad normam Sexti Decretalium, ex stilo & consuetudine Curiæ, pœnas temporales & pecuniarias in Tridentina Synodo passim irrogare quasi vero Dominus curam secularium & temporalium Ecclesiæ permisisset. Quæ procedendi aut statuendi ratio, nunquam alias facta aut attentata legitur in antiquis Conciliis vel ante Gregorii VII *Dictatus absolutos.* Nemo quidem negat Sacerdotem posse in foro Conscientiæ pœnitentibus imperare, ut aliquid pecuniarum aut temporalium in pios usus erogent: verum si hoc pœnitentes facere recusarint, presbyter pœnitentiarius illos cogere non potest: neque similiter Episcopi temporales pœnas in foro externo irrogare, easque exequutioni mandare valent: ratio est: quia temporalia & secularia

cularia sunt fori politici non Ecclesiastici. Cæterum quas temporales & pecuniarias pœnas Romani Pontifices sciscunt in decretalibus, in eam partem capi debent, ut ab illis velut à principibus politicis non tanquam ab Episcopis decernantur. Quocirca ejusmodi pœnæ illos duntaxat obligant, qui Papæ subjecti sunt in temporalibus ratione patrimonii S. Petri, id est donationis Pipini & Caroli Magni: vel etiam propter eos qui se sponte regendos ejusmodi decretalibus mancipant: quæ decretales vim obligandi non habent nisi à populis recipiantur. Sed quotusquisque non admiratione ducatur, Patres Tridentinos, Sessione vigesima quinta cap. tertio, concedere Episcopis facultatem pœnas corporales irrogandi atque adeo parere repugnantes compingendi in carcerem: Item Sessione vigesima quinta, capite decimo nono, statuunt, ut Dominus temporalis qui duellum fieri permiserit, *Urbe, terra, aut ditioni illa abdicetur in qua duellum patratum est.* Deinde vigesima tertia Sessione capite sexto cavetur, *ne homines tonsura donati, quamvis matrimonio juncti, coram alio judice quam Episcopo proprio vocentur: modo alicujus Ecclesiæ servitio & ministerio deputati sint ab Episcopo.* Quod decretum ex Bonifacii VIII. extravagante *de Clericis conjugatis in sexto*, promptum est. At Sessione vigesima quinta capite vigesimo decernitur ac præcipitur, *quatenus omnes*

sacri

sacri Canones & Concilia Generalia omnia, necnon aliæ Apostolicæ sanctiones in favorem Ecclesiasticarum personarum libertatis Ecclesiasticæ & contra ejus violatores editæ innoventur, & exacte ab omnibus observentur. Quæ si locum habeant, oportet *bullam Cœnæ Domini ab omnibus recipi & in rem judicatam mitti*: quæ quidem nominatim statuit Ecclesiasticos non politicis Principibus, sed soli Papæ tanquam absoluto Monarchæ subjici etiam in temporalibus. Ex quo insurgit, Clericos si quid in Reges atque Principes politicos moliantur nullum posse crimen perduellionis aut læsæ Majestatis contrahere. Quod si Princeps aliquid in Ecclesiasticos rebus novis studentes decernere voluerit ipso facto, in sententiam excommunicationis incidit secundum hæc placita & si per annum in ejusmodi excommunicatione continuet pro Schismatico & Hæretico habetur. Quare juxta regulas directorii inquisitorum, quæ tam solerter à Jesuitis mittuntur in rem judicatam, jus est ejusmodi Principes trucidare, ut alias demonstrabitur. Porro Clericorum privilegia quæ Bulla Cœnæ Domini continentur ex Bonifacii VIII. decretalibus verbum de verbo hausta sunt: neque extra Curiam ullo modo obligant, nisi quantum juri divino, naturali & Canonibus receptis consentiunt: De qua re alias.

Venio ad Decreta de morum & disciplinæ

Ec-

Ecclesiasticæ roformatione: ad quam universæ Nationes Christianæ cum animo ardentissimo ab ducentis amplius annis anhelarent: tandem pro vera atque genuina imaginariam & subventaneam reformationem habuerunt. Enimvero, septima Sessione ubi de reformatione agitur, hoc egregium assumentum omnibus aliis capitibus quæ de disciplina aut Ecclesia emendanda sciscuntur pro exordio præmittitur: quo quidem cætera omnia diruuntur & antiquantur: præbe faventiam Lector: *Eadem Sacrosancta Synodus eisdem præsidentibus & legatis, inceptum residentiæ & reformationis negotium ad Dei laudem & Christianæ religionis incrementum prosequi intendens, ut sequitur, statuendum censuit: salva semper in omnibus sedis Apostolicæ auctoritate.* Quæ egregia clausula etiam frequentatur in Synodi conclusione, Sessione vigesima quinta capite vigesimo primo, ut ultima primis quadrarent: *Postremo Sancta Synodus omnia & singula sub quibuscumque clausulis & verbis quæ de morum reformatione, atque Ecclesiastica disciplina tam sub felicis recordationis Paulo III. ac Iulio III. quam sub Beatissimo Pio IV. Pontificibus maximis in hoc Sacro Concilio statuta sunt, declarat ita decreta fuisse, ut in his salva semper auctoritas sedis Apostolicæ sit, & esse intelligatur.* Proculdobio, nullum unquam Concilium ad normam Apostolicæ disciplinæ habitum legimus, in quo Patres quantum fieri posset politiam

litiam Ecclesiasticam & regimen fixum ac immobile non redderent: omnesque Episcopos, ne quidem Romano dempto, Canonibus obstringerent: quam ob causam omnia sua decreta juri communi conformia efficiebant: jus autem commune lege divina & naturali nititur. Ex quo fit, ut Zosimus Papa XXV. quæst. I. diserte doceat: *Contra statuta Patrum condere aliquid vel mutare, ne quidem sedis Apostolicæ auctoritatem posse: Apud nos, inquit, inconvulsis radicibus vivit antiquitas cui decreta Patrum sanxere reverentiam*: quo de Canone amplius disputavi Lib. IV. defensionis Libelli de Ecclesiastica & politica potestate, cap. VI. Verum nemo tam cæcus est qui non videat Episcopos Italiæ his clausulis voluisse cassam ac irritam efficere reformationem: atque illis ipsis iter munire Romam qui à Curia dispensationes ad plura beneficia redimere cuperent. Nam vetus est querela S. Bernardi & plurimorum aliorum *omnia esse venalia Romæ*. Hinc autem facile est conjicere, cur stante Concilio Tridentino tam crebri Cursores Romam mitterentur: non quidem ad illinc afflatus divinos, ut Bellarminus & Vallius supra comminiscuntur eliciendos: sed ut Curia Romana certior fieret eorum omnium quæ singulis momentis tractarentur: & impediret ne quid juribus suis præsumptis & usurpatis derogaretur per accuratam Ecclesiæ reformationem. Quandoquidem omnes

mnes corruptelas Ecclesiæ & Ecclesiastico-rum magno habet quæstui, illique instar messis aureæ sunt hominum peccata, ut taxa Cancellariæ declarat de qua paulo post. Sed ut nostram historiam ulterius promoveamus, capite secundo de reformatione, Sessione septima hoc notabile decretum occurrit, quod quidem factum diceres in aliquo primorum Conciliorum Generalium, dum unica tantum uni tantum committebatur Ecclesia, nullusque in dubium revocabat, quin Residentia Pastorum juris esset divini: *Nemo quacumque etiam dignitate, gradu, aut præeminentia præfulgens, plures Metropolitanas seu Cathedrales Ecclesias in titulum sive in commendam aut alio quovis nomine contra sacrorum Canonum instituta recipere & simul retinere præsumat: cum valde felix sit ille censendus cui unam Ecclesiam bene ac fructuose & cum animarum sibi commissarum salute regere contigerit. Qui autem plures Ecclesias contra præsentis Decreti tenorem nunc detinent, una quam maluerint retenta, reliquas intra sex menses, si ad liberam sedis Apostolicæ dispensationem pertineant, alias intra annum dimittere teneantur. Alioquin Ecclesiæ ipsa ultimo obtenta duntaxat, excepta, eo ipso vacare censeantur.* O præclarum & salutare decretum, nisi clausula ante primum caput de reformatione affixa & in Conclusione Synodi iterata, illud plane ludificaretur ac everteret. Profecto Magister Claudius Espensæus Doctor Parisiensis, qui cum Petro Danæ-

Danæsio Francisci primi Oratore sese ad Tridentinum Concilium contulerat, refert quam primum hoc decretum de non possidendis pluribus Ecclesiis unica latum est, Paulum III. declarationem & propositum suum edidisse super hoc decreto : quam declarationem ipse Espensæus testis oculatus exhibet, capite primo Commentariorum in Epistolam ad Titum ubi de αἰσχροκέρδεια disserit. Nam, inquit Espensæus *Paulus III. Concilio selectorum Cardinalium quod ipse haberi & edi voluerat non acquievit: cum Tridentini Sessione septima decreto & Canone II. de reformatione cavissent neminem plures Ecclesias Cathedrales in posterum recipere, & simul retinere : qui autem plures tum haberent una quam mallent retenta, reliquas missas facerent: præfati tamen hæc se statuere salva semper in omnibus S. Apostolicæ auctoritate. Is, inquam, Paulus in Decreto Canonis hujus interprete hæc addiderit. Sic autem ut fructus omnes sibi reservare possit : tantum ut assignet aliquid resignatario pro suo dignitate utcumque tuenda. Regressum etiam retinere : ut si accideret Resignatarium cedere vel decedere, Ecclesia ad Resignantem regrediatur : eandem de novo alteri eadem conditione cessurum, & sic in infinitum. Atqui Novemviri argumento plane insolubili probaverunt*, ait Espensæus, *magnum abusum esse sic omnia Resignanti reservari, & Resignatario adimi : Officio enim beneficium, id est, redditus sic annexus est, ut corpus animæ : ideo sua natura ad eum qui beneficium habet pertinere : quibus*

honeste pro suo ordine vivat, cultum divinum sustentet, sacras ædes reparet, reliqua in pios usus erogaturus. Sic autem reservationes fructuum & administrationes beneficiorum cumulari, &c. Et hoc pacto jura plerumque omnia Episcopalia ei competunt qui amplius non est Episcopus: fiat autem Episcopus qui nullum Episcopi jus habet: Regressus autem prætextu & coadjutorum nomine, qui plerumque dantur minus idoneis quam ipsi sint Resignantes, ea non tam industria quam illusione, liquido nisi claudamus oculos, tum beneficia testamento legari, tum hæredes institui: utrumque sacris Canonibus valde vetitum: quorum præ cæteris Romanum Episcopum custodem esse convenit: ut ad Orientales olim scripsit Julius I. Et hæc tamen Paulini Decreti praxi Tridentini Canonis mira fraude sic qui plures habebat Episcopas, unam videlicet retinuit, ut non ita nuper ex nostratibus Cardinalibus quidam obierit quinque Episcopatuum præter Abbatias totidem, fructus percipiens, assignata quarta parte Resignatariis pro sua cuique scilicet dignitate, vix ac ne vix quidem tuenda nisi quod totidem vultures uni illi cadaveri inhiantes spem interim pretio emebant. Concilium interim Bononiam translatum, paulo post suspensum, & mortuo Paulo intermissum: successor Julius III. redauspicatus est Bononiæ: antea Sessione XI. palam professus in Sacramentorum Ecclesiæ ministerium innumerabiles abusus irrepsisse. Quorum indubie non minimus est, quod multis in locis minus gratuita est eorum ministratio: in aliquibus etiam

adeo

adeo venalis, ut etiam cum sepultura pauperculis ea non semel denegata sint. Redassumptum ergo Tridenti & aliquo usque continuatum Sessione sexta, ad biennium secundo suspensum: Protestantibus interim & suspensionis decreto contradicentibus gravibus aliquot Episcopis Hispanis: maxime quibus erat cordi necessaria, ut nihil magis, morum & abusuum reformatio & causantibus nec uni quidem, nedum hinc ex causis propter quas convocatum erat Concilium plene adhuc satisfactum esse. Integro igitur decennio interruptum, tot votis optatum, tandem etiam à Pio IV. obtentum, rursum Tredenti resumptum, & tertio congregatum: Patribus licet integra re à Pontifice permissa: adeo tamen Romanam Curiam repurgare sibi non permisit: ut etiam quæcumque de morum reformatione & disciplina Ecclesiastica inferioribus præscripsit, in his salvam semper S. Apostolicæ auctoritatem & esse & intelligi declaraverit, Sessionis septimæ & ultimæ Canone vigesimo primo: ut non minus grate quam pie Pius idem magnam gratiam Patribus Tridentinis publica oratione Romæ in frequentissimo Romanorum Cardinalium consessu & consistorio habuerit: quod in Ecclesiastica emendatione tantam auctoritatis illius rationem habuerint: tantaque in eum moderatione sint usi, ut si is seipse suaque reformare voluisset, longe severior in se futurus fuerit. Quid igitur superest, nisi ut quod eodem scripto pollicetur & Concilii reformantis auctoritatem non declinet: & si quæ Patres aliqua vel ratione omiserunt vel circa ea mitiores fuerunt,

 eorum

eorum occurrens modestiæ, ea tanquam judicio ejus relicta, suppleat? Si enim non minus vere quam libere D. Arianus hodiernæ morum vastitatis tabem à Capite in reliquum Ecclesiæ corpus serpsisse dixit, percutiat sanctuarium suum Pius ejus Successor oportet, & à domo sua incipiat Ezechielis IX. primæ Petri IV. Certe videt propter aliquot ejus Præcessorum sua non quæ Iesu Christi sunt quærentium αἰσχροκερδίαν *& avaritiam, ut ex scriptoribus ei licet sedi addictissimis probare possumus in quem statum adducta sit SS. Apostolica, imo tota Christi Ecclesia: quam multa non multis ab hinc annis facta sit ab ea discessio: metuendum ne major fiat, ni vel aliquando tandem remedium adhibeat: Si tantis quibus obruitur Ecclesia malis medendis allata mora fuerit: hoc futura damnosior quo longior: Et tam diuturnorum motuum non alia causa major quam quod tot annis nihil immutatur, nihil emendatur: & omnis reformandi spes inde abrupta* SPECIES OBLATA: *quod reliquum Ecclesiæ corpus reformatum velint, qui tam multis annorum Centenariis* Ur*bem in qua merum atque mixtum habent Imperium, deformatissimam adhuc reliquerunt. Quid enim vel excusare vel excogitare verum aut verisimile possunt: quibus non vel Rex, vel Cæsar, non Populus, non Clerus, non generalis Synodus, non tota denique Ecclesia dicere potest cur ita facis? Quid, inquam, prætexere possunt, quod eis sibi suisque reformandis moram vel remoram tandiu fecerit, & ubi tamem sub sole major malorum omnium licentia, clamor, impunitas, ne dicam in-*

famia

sumia & impudentia? Talis sane ac tanta, ut nemo credat nisi qui viderit, neget nemo nisi qui non viderit. Subnectit Espensæus se de his cum Paulo IV. Pii IV. prædecessore libere egisse dum esset Romæ : & Paulum cogitasse *de Espensæo retinendo Romæ cum eo honore quem ea sedes largiri solet maximum. Sed laus & gratia Deo ac Domino nostro Jesu Christo, inquit Espensæus, qui quem ei mei promovendi animum dederat vel permiserat, mox abstulit: ne fortassis ambularem in magnis & mirabilibus super me, &c.*

Hucusque planctus lugubres Espensæi, inde manantes quod præsentem statum Ecclesiæ deploratissimum, lectione assidua Patrum & Conciliorum cum disciplina Apostolica sæpe contulisset : atque etiam ut jam monui Synodo Tridentinæ cum Petro Danesio Vaurensi Episcopo sub Paulo III. interfuisset. Quare memor eorum quæ ipse viderat nunquam sibi persuaderi passus est à Cardinale Lothareno Anno 1562. ut cum aliis Doctoribus Parisiensis Scholæ ad Synodum Tridentinam sub Pio IV. proficisceretur : siquidem præsagiebat certo quæcumque de morum reformatione ibidem statuerentur fore illusoria Quam ob causam Magister Claudius Sanctius Doctor Sorbonicus, qui Cardinali Lothareno Comitatum præbuerat Tridentum, eidem Espensæo Collegæ suo literis valde congratulatur quod non se ad Synodum Trident. contulisset : Sanctii Literas Gallice scriptas

 ver-

verbum de verbo sic Latine reddam: *Domine, nunquam tibi melius Spiritus adflavit, quam ne huc venires. Credo enim quod propter indignitates quæ hic committuntur ad impediendam reformationem mortuus fuisses. Franci sincerius, & studiosius se gerunt aliis: qui nos sæpe habent ludibrio propter adversos casus quibus nunc afflictatur Regnum Franciæ. Quamprimum huc appulimus, tractabatur de Sacramento ordinis. Hispani maxime urgebant ut Synodus declararet Episcopos institutos à Christo, & Presbyteris jure divino esse superiores: Galli omnes sese Hispanis adjunxerunt: Sed ut consequentia hujus propositionis impediretur, Itali in hoc solo Canone decem aut duodecim titulos in gratiam & favorem Papæ immiscebant: quibus titulis prætexebant solum Papam fuisse immediate institutum Episcopum à Christo, & reliquos Episcopos non habere potestatem nisi dependentem à Papæ potestate, & ab ipsomet Papa. Nullus est nostrum qui non vellet esse in Sorbona etiam cum vitæ periculo. Mihi impossibile est tibi sigillatim omnia acta enarrare quæ vidi & audivi in hoc Concilio. Tridenti XV. Junii 1563.* His ergo de causis Espensæus stomachum demittere non poterat erga illos qui obstaculo erat quominus Ecclesia emendaretur. Proculdubio impossibile est viro & Civi optimo, illos æquo pati animo qui optimum Reipublicæ in qua nati sunt statum convellere moliuntur ut privatum dominatum & divitias sibi quærant: plusque potentiæ quam tota Respublica ha-

bere.

bere volunt. Hæc autem Collectio Espensæi, sex præsertim digna observatione complectitur.

Primum, quod ait, Patres Tridentinos in iis quæ de moribus emendandis & disciplinæ reformatione decreverunt semper voluisse & intellexisse salvam esse S. Apostolicæ auctoritatem, ut Papa ex animi sui arbitrio de Canonibus dispensaret: Id quidem in eam partem capi debere contendo, ut nimia cura Episcoporum Italiæ in efferenda potestate Pontificia, eidem hoc loco non mediocriter noceat. Enim vero, hæc clausula locupletissimum nobis testimonium auctoritatis Concilii supra Papam consignat: quoniam clare ostendit minime licitum Pontifici de Canonibus Conciliorum Generalium ad mores & disciplinam spectantibus pro lubitu dispensare, sed duntaxat ad mentem atque propositum Concilii: puta cum necessitas & bonum commune Ecclesiæ exigit. Certe absque hac exceptione nequaquam liceret Papæ de Tridentinæ Synodi canonibus ex animi sui arbitrio dispensare absque gravissimo peccato.

Secundo, Declaratio Pauli III, cujus meminit Espensæus pugnat omnino cum ejusdem Pauli instituto in Concilio Selectorum Cardinalium, quod jussu ejusdem Pauli conceptum atque editum est: & Novemvirale vocatur ab Espensæo, quoniam ut supra notavi à Novemviris, quorum quatuor erant

Cardinales conditum est. Et hinc colligit Espensæus, omnem Ecclesiæ & præsertim Curiæ Romanæ, in melius reformandæ rationem his moribus desperatam esse: *Omnis reformandi spes inde abrupta species & prætextus*, ad illudendum hominibus *oblati* inquit: sic enim legendum: non autem *species ablata*: qui error est operarum.

Tertio, quod istas insanas dispensationes exemplo cujusdam Cardinalis Galli illustrat, quinque habentis Episcopas cum totidem Abbatiis velut sponsas legitimas: potest quidem & alterius Cardinalis nostratis imagine cumulari: qui tres opulentissimos Archiepiscopatus cum sex ditissimis Abbatiis possidebat in Titulum: ac tum demum prædictos Archiepiscopatus ejuravit, vix dum aliquid proventuum Resignatariis ad onera perferenda relinquens. Cum autem Dominus ille Cardinalis supremum diem clausisset, sex illius Abbatiæ cum uno Archiepiscopatuum reservati sunt ejusdem Nepotulo trienni. Huc quoque accurrit & alterius Cardinalis factum, qui duodecim atque amplius Abbatias cum Nobilissimo & pinguissimo Episcopatu possidebat: Cumque in gratiam Nepotis Episcopatum ejurasset sibi omnium præbendarum, dignitatum, Prioratuum, ac pinguiorum Sacerdotiorum collationes cum omnibus juribus atque proventibus feudalibus ejusdem Episcopatus & beneficiorum eidem

Epi-

Episcopatui unitorum reservavit. Et hæc sunt egregia monimenta emendationis Ecclesiæ post Tridentinæ reformationis regulas: quæ nominatim pugnant cum Articulis Concilii selectorum Cardinalium, ne quid de Canonibus antiquis jureque divino & naturali loquamur. Verum de hoc tam enormi abusu atque reservationibus, Regii Triumviri Parlamenti Anno .... die .. solenni quo causæ in magna decuria aguntur, tanquam ab abusu provocarunt. Hercle ad Corruptelarum cumulum apprime facit, quod Divites & Magnates nullo negotio à Curia Romana dispensationes obtinent ad plura beneficia: & inter alios Cardinales *propter privilegium, quod* OS APERTUM *nominant*, nulla omnino indigent dispensatione ad omnia omnis generis beneficia quantumvis incompatibilia possidenda. Quod genus Privilegii illis duntaxat Cardinalibus tribuitur, qui sese Romam ad Galerum Cardinalitium, sola quidem manu Pontificis obtinendum, contulerunt: atque inter ejusdem manus Sacramentum arcanum de juribus Curiæ tutandis emiserunt: tum enim & non antea Cardinalibus *os aperitur*: hoc est datur potestas ingrediendi Conclave ad eligendum Pontificem quando sedes vacat: alias nullus Cardinalis hoc potest frui Privilegio. Quæ artes sunt eximiæ quibus Curia Romana sibi homines callide devincit. Verum, quando potentes atque opulenti tam

proclive dispensationes redimunt à Curia: Quis non miretur optimum atque Doctissimum Theologiæ Doctorem cum ab Episcopo Parisiensi in Ecclesiæ Parisiensis pœnitentiarium fuisset cooptatus absque præbenda, (siquidem præbendæ quibuscumque aliis potius quam onus ac æstus diei portantibus conferuntur) vixdum per duos annos integros ingeminatis & frequentatis idemtidem supplicationibus vanum atque inanem titulum Canonicatus ad effectum, ut vocant, consequi valuisse. Mirabilis certe Ecclesiæ reformandæ ratio; judicet Lector, utrum hoc sit Camelum deglutire & culicem percolare, Matthæi XXIII.

Quarto, quod ait Espensæus Julium III. palam professum in Sacramentorum Ecclesiæ ministerium innumerabiles abusus irrepsisse, nomine quidem non re fallitur, ac Julium pro legatis Pauli III. accipit. Nam Acta Tridentini Concilii quæ huc ingeram in Sessione undecima editionis Antuerpiensis Anni 1564. apud viduam Martini Nutii ad insigne Ciconiarum, hæc referunt: *In nomine Domini nostri Jesu Christi Amen. Anno à Nativitate ejusdem millesimo quingentesimo quadragesimo septimo, indictione quinta, die vero Mercurii decima quarta mensis Septembris, Pontificatus SS. in Christo Patris & Domini nostri, Domini Pauli divina providentia Papæ* III. *Anno* XIII. *Bononiæ in domo Campegiorum, & solita residentia Reverendissimorum*

morum & Illustrissimorum Dominorum Sacri Concilii Præsidentium & Apostolicorum de latere Legatorum : & in aula ubi generales congregationes fieri consueverunt, hora circiter vigesima prima: Habita fuit congregatio generalis Patrum ipsius Sacri Concilii, in qua quidem congregatione primum more solito Reverendissimus & Illustrissimus Dominus Joannes Maria Episcopus Prænestinus Cardinalis de Monte ipsius Sacri Concilii Præsidens & Legatus, invocavit auxilium S. Spiritus, legens alta voce & intelligibili voce infrascriptam orationem: videlicet, adsumus Domine Sancte Spiritus, adsumus quidem peccati immanitate detenti, sed in nomine tuo specialiter adgregati. Veni ad nos, esto nobiscum, &c. Qua oratione absoluta idem Reverendissimus & Illustrissimus Dominus Cardinalis de Monte Præsidens & Legatus præfatus alloquutus fuit Patres his verbis : videlicet, Dies crastina SS. Patres, ut Dominationes vestræ sciunt, erit ea Dies quæ statuta fuit à nobis ad Sessionem celebrandam. Quot quantisque & quam diversis circumveniamur angustiis, difficultatibus, & impedimentis, nemo est qui non videat. Nondum venerunt Prælati complures quos scimus arripuisse iter : ac præsertim piæ ac inclytæ Nationis Gallicanæ. Aliqui venerunt hodie, heri, nudiustertius, denique de repente ut non potuerint seipsos & animum suum informare in materia tam gravi, ampla, & diffusa, prout est HÆC SACRAMENTORUM ECCLESIÆ *& abusuum innumerabilium qui in ministerio ipsorum Sacramentorum irrepserunt. Sed quid loquimur de*

ab-

absentibus, aut de iis qui nuper venerunt: cum illi qui semper fuerunt præsentes & tota æstate versati sunt, in disputationibus & examinationibus, & in audiendo privatim & publice minores Theologos adhuc parati non sint, neque esse potuerint: His difficultatibus accedit atrocitas insperati casus Illustrissimi Ducis Placentiæ, qui nos ita detinet occupatos in tuenda libertate Civitatum Ecclesiæ, ut nos ipsi neque per horam quidem vel punctum temporis liberi simus. Lætamur & gratias agimus, Deo quod in Decreto proxime præteritæ Sessionis fuerit addita illa clausula, in fine prorogandi & restringendi terminum etiam in privata congregatione, &c. Hactenus Cardinalis de Monte Legatus Pauli III. cui etiam in Pontificatu successit Julius qui III. vocari voluit: unde etiam liquet si ad Julii Pontificatum attendas, recte quidem dictum ab Espensæo *Iulium III. palam professum in Sacramentorum Ecclesiæ ministerium innumerabiles abusus irrepsisse*. Utinam vero omnia acta integra & illibata haberemus, multa, inquam, arcana nobis innotescerent. Cæterum hinc discimus in Synodo Tridentina *Minores Theologos*, ut eos nominant, solitos res controversas examinare ac discutere: & quasi mansum in os ignarorum Prælatorum injicere: si tamen ignari illud mandere ac bene coquere quiverint. Stella in Lucam Cap. sexto ad hæc verba: *Nunquid potest cæcus cæcum ducere, &c. ait sibi à risu temperare non potuisse, quod Episcopi secum ducerent*
Tri-

Tridentum Theologos Doctos qui eos illuminarent, dirigerent, & docerent quid dicturi & responsuri essent. His etiam de causis Espensæus lib. secundo digressionum in primam Epistolam ad Timotheum de Clerico doctore, graviter luget, Episcopus hodiernos officium suum, quod est prædicare verbum, Dei quasi vile atque obscurum adjecisse. Verum quando clavis discretionis, necessario clavem Jurisdictionis præcedere debet; perpende quantum insit roboris atque virium Episcoporum suffragiis, qui nullam suæ sententiæ rationem reddere queunt.

Quinto, quod ait Espensæus Synodum Tridentinam toties intermissam prorogatam & suspensam, valde notabile est: quoniam nullum aliud unquam extitit Concilium in quo obtinendo, habendo, continuando & absolvendo tantum difficultatis, operæ, laboris, Cæremoniarum externarum, imo & fabricarum collocatum sit. Hercle dum jus commune & regimen Aristocraticum vigerent, Concilia nullo aut facili negotio cogebantur, & celebrabantur: Ita ut singulis diebus una actio aut Sessio cumulatissime perficerentur. Sed postquam absoluta Monarchia invaluit, omnia pessum ruere cœperunt: propterea quod dominandi libido quæ inimica est Charitati, Spiritui Ecclesiæ, & communioni Sanctorum, omnem extinxit charitatem, regulasque morum oppressit, ut

ut ſuæ privatæ utilitati velificaretur. Hinc factum, ut Synodus Tridentina ſub Julio III. poſt quintam Seſſionem, biennium integrum ſuſpenſa fuerit, Epiſcopis duodecim Hiſpaniarum contradicentibus, quorum interceſſionem hic exſcribam quæ extat in editione Tridentini Concilii viduæ Martini Nutii Antuerpienſis, cujus jam ſupra memini.

Proteſtatio Patrum infraſcribentium contra Decretum Suſpenſionis ad biennium Generalis Concilii Tridentini, lecta in præfata Seſſione quinta per R. Salvatorem Archiepiſcopum Turritanum.

CUm hoc Sacrum Oecumenicum Concilium ante tot annos à toto Chriſtiano orbe deſideratum, tantis laboribus procuratum, tandem Tridenti ad extirpandas Hæreſes, tollenda Schiſmata, reformandos mores, pacemque inter Chriſtianos Principes componendam fuerit convocatum: neque poſt ejus convocationem fuerit adhuc ſatisfactum, nedum omnibus, ſed nec plane alicui ex cauſis propter quas convocatum eſt, præſertim reformationi neceſſariæ abuſuum, unde mala omnia quibus vexatur Eccleſia & orta eſſe & confoveri apertum eſt. Nos infra ſcripti Archiepiſcopus & Epiſcopi noſtrarum conſcientiarum teſtimoniis compulſi, huic Decreto Suſpenſionis Concilii in eo contentis circumſtantiis & conditionibus tam quo ad ſubſtantiam ejus, quam quoad formam contradicere decrevimus, prout de præſenti contradicimus & repugnamus: tum quia cauſæ ſuſpendendi quæ

quæ in eo aßignantur, bella scilicet, & Germaniæ tumultus (quos brevi sedatos iri ac componi vel in ipso Decreto sperari dicitur) non usque adeo videntur urgere, ut sit propter eos ita à Concilii persequutione cessandum, saltem in iis quæ ad reformationem attinent. Quinimo ad sedandas Principum discordias, aptissima visa est Concilii convocatio subindeque prosequutio & continuatio. Tum etiam quia dicta Suspensio, magis dissolutionis quam justæ, moderatæ, aut necessariæ Suspensionis speciem præ se ferre videtur. Neque enim, etsi cæteræ difficultates deerint quas timere nos docuit experientia, tam celebris Prælatorum Conventus, ex tam diversis remotisque Provinciis haberi facile poterit: nec deerunt impugnatoribus Catholicæ Ecclesiæ occasiones & rationes ad servanda alendaque bella atque discordias, quibus hujus Concilii, cujus nomen apud eos est tam odiosum, resumptionem impediant, aut ludificentur: quod nunc eos conari variisque rationibus tentare videmus: Si præsertim viderint conatus hujusmodi prospere eis cedere, nosque eo adegiße, ut ab incepto opere cessaverimus. Præterea, deterret nos ingens scandalum certaque Hæreseum prope confirmatio: quam ex tali & tam diuturna suspensione, nedum ipsis Ecclesiæ adversariis, sed & Catholicorum plerisque orituram esse manifestum est: Cum dominica castra, publicamque causam deserere non alia ratione magis quam persequutionum metu, laborum impatientia, & quod pejus est, causæ ipsius & divini auxilii desperatione opinabuntur, cum tamen in tuto loco ab

omni

omni bellica injuria remoto sedisse nos viderint; ubi alias cum non minus periculosa bella gererentur, nihilominus ipsa Synodus fiducialiter in divino hoc opere perseveraverit: quod profecto inficiari nec nos ipsi possumus. Cum itaque è manibus nostris repetendæ erunt animæ quæ perituræ sunt, per substractionem hujus salubris atque unici remedii aliisque de causis conscientias nostras moventibus, huic Decreto non expresse contradicere non possumus, imo & contradicimus, & quantum possumus absolute repugnamus. Ne tamen omni consilio non consentiendi rationem quærere videamur neve abhorrere credamur à suavi rerum dispositione, cum & nos difficultatis temporum recessusque Prælatorum Germanicæ nationis fere omnium, rationem aliquam habendam esse non improbemus. Petimus, ut sequens viam quam hactenus tenuit atque servavit hæc Sancta Synodus, Sessionem ad proximas Calendas Maji indictam ad moderatum aliquem terminum proroget, diemque declaret, qui ipse ita pro homine interpellet, ut alia convocatio, declaratio, aut intimatio minime sit expectanda, quominus ad hunc locum Concilii omnes Prælati convenire & possint & teneantur. Addentes nihilominus quod si infra dictum declarandum terminum prædicta impedimenta cessaverint, curet Sanctitas sua Prælatos omnes ad prosequutionem Concilii revocare: quibus interim ad proprias Ecclesias remeare si libeat licebit. Ultima vero Decreti verba quibus commendatur Decretorum hujus Sanctæ Synodi observatio, placerent utique, si absque his verbis (quatenus ad eos

eos de jure spectat) publicetur: quæ litium occasio esse videntur & seminarium. Quæ quidem omnia ita & non aliter fieri petimus & protestamur. Quod si secus fiat, nullum nobis nec Sanctæ Synodo præjudicium fieri quovis tempore, tam propter hujus Decreti Suspensionis publicationem, quam ob quemcumque alium actum factum vel faciendum, attentatum vel attentandum, per quascumque personas contra hujus Oecumenici Concilii auctoritatem & potestatem. Conciliorumque Oecumenicorum omnium. Petimus, insuper à Synodi hujus Notario, ut hanc nostram Scedulam Contradictionis, attestationis, & protestationis inter acta Synodi unam cum hoc Decreto inferat: indeque ipse vel alii nobis unum vel plura Authentica instrumenta exhibeant. Prælati qui contradixerunt Decreta Suspensionis Concilii XXVIII. Aprilis 1552. fuerunt isti.

R. D. Salvator Alexius Sassarius Archiepiscopus Turritanus Hispanus.

R. D. Ioannes Salazar Episcopus Lucianens. Hispanus.

R. D. Aluarus Della Quadra Episcopus Venunsin. Hispanus.

R. D. Episcopus Tundensis.

R. D. Petrus Acuna & Avellaveda Episc. Astoricens. Hispanus.

R. D. Episcopus Civitatensis.

R. D. Ioannes Fonseca Episcopus Castellimaris Hispanus.

R. D. Franciscus de Navarra Episcop. Pacen. Hispanus.

R. D. Michaël Puch. Episcopus Elvensis Hispanus.

R. D. Episcopus Gadixens.

R. D. Episcopus Pampilon.

R. D. Ioannes Bernardus Diaz Episcopus Calagurrita Hispanus contradixit simpliciter Suspensioni, nulla facta distinctione inter Suspensionem & prorogationem Concilii.

Hactenus actum intercessionis Episcoporum Hispaniæ; quod sicut multa alia expunctum est ex editione Romana Concilii Tridentini. Cæterum ejusmodi protestatio nos evidenter docet, quantum intersit veram atque orthodoxam doctrinam de Aristocratico regimine Ecclesiæ, & Concilii auctoritate supra Papam vindicare, quemadmodum est Synodo Constantiensi Sessione IV. V. & XXXIX. ne Papa absque consensu & auctoritate Concilii Synodum dissolvat, suspendat, aut alio traducat: quod amplius cautum est Sessione XI. Basileensis Concilii, ut supra docuimus. Hercle nisi hæc Concilii & temperamenti Aristocratici auctoritas libera asseratur & retineatur, Ecclesiasticæ disciplinæ tabes nunquam in melius emendabitur propter Curiæ Romanæ artes: quæ magno cum religionis Catholicæ opprobrio, omnes abusus in suum privatum commodum & temporalem dominatum avidissime abripit: cujus rei testis est locupletissimus nullaque ratione refutandus aut improbandus Liber Taxæ

Can-

Cancellariæ Romanæ: In quo ait Espensæus loco jam citato Commentariorum in Epistolam ad Titum, *Plus scelerum discas licet, quam in omnium vitiorum Summistis & Summariis, & plurimis quidem licentia omnibus autem absolutio empturientibus proposita parco nominibus, nam quod ait nescio quis.*

Nomina sunt ipso pœne timenda sono,

Mirum hoc tempore, hoc schismate, non suppressum, tot tamque fœdorum: tamque horrendorum scelerum velut indicem adeo infamem: ut non putem in Germania, Helvetia, & ubicumque à Romana sede defectum est, opus prostare majore hujus scandalo, & adeo tamen non supprimitur ab Ecclesiæ Romanæ favissoribus: ut tantorum ac talium facinorum licentiæ ac impunitates, in facultatibus legatorum illinc huc venientium, bona ex parte innoventur atque confirmentur, adversus (si Deo placet) quæcumque natalia restituendi, ac etiam quoscumque Spurios, Manseres, Bastardos, ex quocumque illicito coitu, &c. Cum ex his qui se per adulterium polluerint, ut connubere possint, perjuros, Simoniacos, falsarios, item raptores, usurarios, Schismaticos, Hæreticos, sed ad cor reversos, non absolvendi tantum, sed & ad ordines, honores dignitates, & beneficia quæcumque, quotcumq; qualicumque dispensandi: homicidas quoque sed Casuales seu involuntarios, nam nec voluntarios quidem excepit Taxa superior, presbytericidas, parricidas, matricidas, fratricidas, sororicidas, uxoricidas, infanticidas, veneficas, incantarices,

concubinarios, adulteros, incestos, cum affinibus aut consanguineis: denique contra naturam cum brutis, &c. Habeat jam Roma pudorem & tam nullius frontis criminum omne genus Catalogum prostituere designat. Jam omittam Annetas quocumque colore vel prætextu exigantur in Basileensi Concilio Sessione XXI. de Simonia damnatas, &c. hæc Epenlæus. Sed ad propositum, lectoremque moneo in Synodo Tridentina sub Julio. III. nullos Galliæ Episcopos interfuisse tum propter continua bella quæ inter Carolum V. Imperatorem & Henricum II. fervebant & protectionem Ducis Placentini quam Henricus suscepit. Verum in Episcoporum Hispaniæ obnunciatione, hoc amplius occurrit notabile quod iniquo ferant animo Julium III. in Decreto Suspensionis Concilii hanc adfuisse clausulam: *Interea tamen eadem Sancta Synodus exhortatur omnes Principes Christianos & omnes Prælatos, ut observent & respective quatenus ad eos spectat observare faciant in suis regnis, Dominiis & Ecclesiis omnia & singula, quæ per hoc Sacrum Oecumenium Concilium fuerunt hactenus Statuta & Decreta.* Siquidem futurum cernebant, ut hæc concepta vocabula *quatenus ad eos spectat, &c.* præbitura essent magnam occasionem Curialibus, qui verborum apices aucupantur, quo minus Decreta de reformatione Statuta Tridenti possent, mitti in rem judicatam ab Episcopis & Principibus Christianis: quoniam hi quotiescumque id facere voluis-

voluissent, semper pronum erat Curiæ Romanæ causari & obtendere, hoc ad illos non spectare, nisi quantum & quatenus Papa absolutus Ecclesiæ Monarcha pati vellet. Quocirca clausulam illam magnum fore litium seminarium denuciant, & interea dum omnem laborem pro Ecclesia reformanda susceptum, cassum atque irritum futurum. Profecto Episcopos Hispaniæ hac sua protestatione voluisse, dignitati Ecclesiæ & Conciliorum Generalium consulere, liquet. Idque hæc clausula indicat: *Contra hujus Oecumenici Concilii auctoritatem & potestatem Conciliorumque Oecumenicorum omnium, &c.*

Sexto, ait Espensæus, post curam omnem Ecclesiæ emendandæ & facultatem dispensandi de canonibus relictam Pontifici à Tridentinis Patribus, revera spem melius regendæ Ecclesiæ, & morum castigandorum funditus abjectam: Cujus rei hanc assignat rationem, quod licet Papa merum & mixtum habeat Imperium Romæ, ita ut à nullo impediri possit, quin suam privatam Diœcesim & Curiam ad aliquam tolerabilem emendationem reducat, nihilominus id ei curæ non esse: quamquam Romæ major malorum omnium licentia clamor, impunitas, infamia & impudentia quam uspiam alibi. Sed quicquid dicat, Ego opinor rebus ut nunc sunt in urbe stantibus, impossibile esse Pontifici suam Curiam reformare, nisi forte eam velit

& possit prius totam immutare. Nam eo miseriarum res evasisse claret: ut omnia Carcinomata & deformitates, in quandam formam status temporalis reipublicæ opulentissimæ degenerarint, & post Synodum Tridentinam magis ac magis stabilitæ sint. Quocirca Curiales jure vel injuria, hunc propudiosum & monstruosum statum nonmodo sartum tectum, sed etiam maxime auctum & ampliatum cupiunt: in eoque dies & noctes totas laborant, ex quo fit, ut Papa si velit bene agere pro Ecclesiæ emendatione non possit, ut Adriani VI. exemplo patet: à quo tempore abusus in immensum aucti cumulati & corroborati sunt, post Synodum Tridentinam ut jam docui. Cujus rei illustre ac domesticum aliud Testimonium edere lubet nimirum Gentiani Herveti viri Doctissimi qui Tridentino Concilio Anno 1562. interfuit, cum Cardinali Lothareno & Theologis Parisiensibus: suamque de necessitate reformandæ Ecclesiæ sententiam, luculentissima Epistola ad Alphonsum Salmeronem Theologum Societatis Jesuitarum reseravit cum esset Tridenti, quam Epistolam hic solide exscribam: Causam vero eam tum lucubrandi illa celebris disputatio de Pastorum residentia Gentiano præbuit, quæ disputatio quamquam sub Paulo III. agitata fuisset Tridenti, tamen iterato sub Pio IV. renovata, quando actum est de Sacramento ordinis, vide Sessionem

XXIII.

XXIII. Cap. primo, ubi de reformatione & residentia Pastorum agitur.

Reverendo Patri Alphonso Salmeroni Sodalitatis Jesu Sodali Gentianus Hervetus S.

CUm tu me ægrotantem, quæ tua fuit humanitas, nudius tertius invisisses: inter cæteros Sermones quos inter nos contulimus, hic fuit præcipuus: quod cum ego dixissem me non posse non dolere, quod propter hujus Concilii diuturnitatem à suis gregibus tandiu abesse cogerentur Episcopi, hoc maxime infelicissimo tempore quo tot undique oriuntur lupi: qui miseras pecudes dilaniant, discerpunt, ac dilacerant: tu quoque hoc ipsum ægre ferre præ te tulisti, & hoc etiam adjecisti: id eo magis esse dolendum, quod unicum juris divini vocabulum, tanquam aliquod malum aureum in medium injectum, tantam inter Patres excitarit dissensionem: ut his jam sex mensibus feliciter cœptum Concilii cursum retradaverit. Quod quidem te eo magis mirari dicebas. Quod non sit adeo magna inter eos controversia. Nam cum utrique in suis Ecclesiis residentiam fateantur esse necessariam: alii eam juris esse divini absolute censeant. Alii autem juris quidem esse divini sed per Ecclesiam, id est, per summum Pontificem dispensabilis. Cum autem quærerem si res non est adeo magni momenti: qui fit ut alii hanc juris divini particulam Decreto de residentia inseri tantopere cupiant, alii Cane pejus & angue fugiant & horreant? Dixisti, nunquam permissurum Pontificem, & qui ejus

partes sequuntur, ut de Pontificis detrahatur auctoritate: detractum autem iri, si propter hanc adjectam divini juris particulam à Pontifice accersiti, aut aliquo missi Episcopi, parere recusarent. Omitto cætera quæ dixisti, nempe ex Sacris Litteris nunquam adstrui residentiam esse juris divini, quod impune & facillime videamus violari quotidie. Hæc tu quidem dicebas, ad quæ facile potest responderi. Nam cum pascere gregem sit juris divini, id quoque sine quo explicari non potest juris sit divini necesse est. Et cum Episcopatum alicui mandat Pontifex, id quoque mandat quod est juris divini, nempe ut gregem pascat & ea ratione resideat. Si autem ante Cajetanum nemo scripsit residentiam esse juris divini, minime est mirandum. Nam nemo unquam de eo dubitavit: neque ut id scriberet Cajetanum aliud impulit, quam quod per summam indignitatem videret suas Ecclesias ab Episcopis deseri: qua quidem in re magis est laudandus: quod cum jam esset Cardinalis nec quicquam esse quod amplius ambiret, Episcopos vera scribendo officii sui admonuerit: quod Catharinus & Campegius, quod juris non esse divini residentiam primos omnium dicentes, Episcopatibus quos habebant majus aliquid ambivisse non levis est conjectura. Si pœnis autem Canonis non potuerint hactenus Episcopi contineri in officio: quid vetabit experiri num adjecta juris divini particula amplius aliquid poterit? Quod ergo prodesse potest, non potest obesse: id ne disertis verbis exprimatur, quid opus est tantopere contendere? Sed hoc ut dixi omitto; ad ea venio quæ dixisti, subodorari Pontificem

&

& qui ejus partes tuentur, fore ut dicto Pontificis minus pareant Episcopi, & ita de Pontificia detrahatur auctoritate, si juris divini particula adjiciatur Decreto de residentia. Ea autem dicam quæ cum tu mecum loquebaris minime cogitabam, cum tu autem discessisti mihi venerunt in mentem, reputanti & diligentius examinanti verba quæ apud me feceras: Atque primum quidem omnium hoc mihi occurrit, Sacrosanctum Tridentinum coactum esse Concilium, ut profligentur Hæreses, & lapsa Ecclesiastica reparetur disciplina: disertis enim verbis expressum est ideo congregari, ut reformetur Ecclesia tam in Capite quam in membris: quod quidem maximam spem dedit bonis omnibus fore, ut prisci illi & incorrupti mores in integrum restituerentur: Cum quod propter diuturnam & longi temporis præscriptionem munitam consuetudine per se non poßet facile efficere Pontifex, id libero Sanctæ Synodi permitteret arbitrio. Et jam cessabat quæ plurimorum animis insederat opinio, nolle Pontifices congregari Concilium, quod timerent sui & suorum reformationem. Ex hoc auctoritati & dignitati Pontificis quantam putas factam esse accessionem? Quæ certe futura erat longe major si iis quæ verba præ se ferebant, facta quoque respondißent. Sed cum subdubitari cœptum est, & deinde manibus quodammodo palpari, simplicibus offundi tenebras: & qui dolus est malus, aliud agi aliud simulari, subito mirandum in modum refrixit quam de Pontifice boni omnes conceperant opinio: quamquam meo quidem judicio non tam hujus rei culpa est in summum Pont. conferenda:

qui non minus est re quam nomine Pius : quam in nummarios aliquot Episcopos , & Curiæ Romanæ aliquot asseclas : qui partim officii sui immemores , & Ecclesias deserentes , partim majora captantes , & majores Titulos ambientes , non minus sunt addicti Romæ , quam servi glebæ : quorum tam importuna & tam cæca est ambitio , ut malint Germaniam perpetuis agitari seditionibus , recuperandæ Angliæ omnem spem amitti , Franciam , quæ summorum Pontificum potentissimum & tutissimum semper fuit propugnaculum , è Catholicorum manibus , quod nunc maxime est timendum , eripi : Cœlum denique terræ misceri , quam in animum inducere , ut relicta Roma suos greges pascant : qui sunt adeo inconsiderati , ut cum proximus ardet paries , suam quoque rem agi non videant. Hujus funesti quod nunc est in Gallia belli , quis futurus sit exitus Deus novit. Mihi certe valde timendum videtur , ne cum omnium nostri temporis , absit verbo invidia , quam virtute & morte superavit Imperatorum fortissimus & omnibus alioqui virtutibus adeo absolutus , ut nullum ei vitium ausi sint unquam abjicere adversarii : ut qui solus prœlia Domini pugnasset dici possit Dux Guisianus non minus immatura quam violenta morte nobis sit præreptus : totque jam viri fortes pro fide Catholica suscepta gloriosa Martyrii Corona in hoc bello ceciderunt : timendum est , inquam , ne si mores nostros non corrigamus , Deus permittat , ut Gallia & Germania , connivente vel etiam conspirante Italia , conjunctis simul copiis de Ecclesiasticorum, qui

qui nolunt corrigi, peccatis pœnas ſumant. Deus faxit ut inanis meus ſit hic metus; at facile id fieri poſſe, quemlibet vel parum cordatum ipſa docet experientia: ſi quid in Germania & Anglia intra paucos annos & nuperrime in Gallia factum ſit recordetur, ſed ut ad rem redeamus, maxima ex parte exceptis paucis, qui ſincera & illæſa conſcientia libere dicunt quod ſentiunt, ſunt hujuſmodi ut dixi Epiſcopi qui juris divini particulam Decreto de reſidentia addi nolunt: qui cum ſummi Pontificis auctoritatem ſe defendere ſimulant, revera autem ſuæ ambitioni & libidini ſerviunt: dici non poteſt in quantam invidiam vocent ſummum Pontificem. Quid enim ad vulgi aures accidere poteſt, magis invidioſum quam ſi ſummus Pontifex, cujus ſunt partes univerſam regere Eccleſiam, nolit providere ut Epiſcopi in ſuis reſideant Eccleſiis? Nolle autem providere cenſebitur, ſi per eum ſteterit quo minus reſidentia juris eſſe divini ſtatuatur: quod quidem videtur eſſe adeo perſpicuum, ut ſit ea veluti quædam notio impreſſa animis hominum. Quam multis in locis, ut ego quidem arbitror, immerito male audiat ſummus Pontifex nemo eſt qui neſciat: & tamen à malevolis conflatam in eum invidiam tantam vim videmus habuiſſe, ut multæ eæque maximæ nationes ab eo defecerint. Quid futurum autem cenſemus, ſi per univerſum Chriſtianum orbem quod maxime timendum eſt, hæc pervagatur fama, nolle Pontificem ut Epiſcopi in Diœceſibus ſuis reſideant: Nolle autem dicetur, ut jam dixi, ſi per eum ſteterit, quod abſit ne reſiden-

sidentia juris esse divini statuatur. Cavendum, cavendum est, inquam, ne si hoc fiat non minus apud Catholicos, quam apud Hæreticos laboret invidia: & tot pestilentissimis, quæ Christianum orbem vexant, Hæresibus, accedat, quod Deus avertat, etiam schisma. Sed quam quæso est perversum eorum judicium, qui Pontificis auctoritatem eos tutari, qui non esse juris divini residere existimant: de ea autem eos detrahere qui existimant. Quasi vero sit aliquid quod magis faciat ad conservandam, atque adeo augendam Pontificis auctoritatem, quam si omnes quibus sunt mandata munera Ecclesiastica, iis ut par est fungantur: fungi autem qui recte possunt, si ea ipsi deserentes vicaria semper utantur opera? Cujusmodi vero est, quod dicis jussis Pontificis minus esse parituros Episcopos, si in Decreto addatur residentiam esse juris divini? Quamobrem? quia si à summo, inquis, accersantur Pontifice aut jubeantur aliquo proficisci, poterunt semper ejus detrectare Imperium, hoc prætextu quod juris sit divini residentia. Tu ipse, inquiet Episcopus, jussisti residere me, imo vero Deus jussit, non licet itaque hinc me discedere. Ad hæc facile est respondere, non est magis Ecclesiæ suæ obligatus Episcopus quam uxori maritus: inter Episcopum certe & Ecclesiam, veluti quoddam Spirituale contrahitur matrimonium. Quamvis autem Matrimonium sit viri & mulieris conjunctio individuam vitæ consuetudinem retinens, non est tamen adeo hæc arcta ac individua vitæ consuetudo, ut non possit maritus justis de causis ab uxore aliquandiu abesse. Ita etiam Episco-

piſcopus quamvis jure divino obligetur reſidere, non tamen perpetua adſtringitur reſidentia, ut ei non liceat aliquantiſper abeſſe juſtis de cauſis: quæ quidem poterunt eſſe hujuſmodi, ut minus nitantur jure divino quam ipſa reſidentia. Non eſt certe dubium quin ſi à Pontifice ad Concilium vocetur Epiſcopus, aut in locum aliquem mittatur, in quo ad compeſcendam Hæreticorum rabiem, ſit ejus opera ad tempus opportuna ac neceſſaria, vel ſi quid aliud ſit ejuſmodi, in quo agatur vel de religione, vel de Eccleſiæ ſalute, ſit ſemper lubenter pariturus Epiſcopus, ut qui ſatis intelligat cum ex ſcripturis ſacris ſit perſpicuum Petri Apoſtolorum Principis Succeſſorem eſſe Chriſti Vicarium, ſe etiam obligari ad ei parendum, in iis quæ ad Eccleſiæ pertinent ædificationem: Nec ſi ab Eccleſia ſua aliquandiu abfuerit pro deſertore habendum: Cum nec ab ea deſerendi animo receſſerit & ſuæ Eccleſiæ providere ſit cenſendus, qui pro tota laborat Eccleſia, cum communi ſalute contineatur etiam ſalus ſingularum. In his ergo non eſt dubium, quin ſit quivis bonus & ſui officii non immemor Epiſcopus ſummo Pontifici lubenter pariturus, nec veriturus ne ſi ſtatutum fuerit juris divini eſſe reſidentiam, & parendo videatur commiſiſſe in Canonem. Neque tamen negari poteſt à ſummo Pontifice, nonnulla Epiſcopo imperari poſſe quibus ſi non pareat, non protinus Pontificis Imperium detrectaſſe, ſed juſtas attuliſſe cauſas propter quas jure ſit excuſandus, non immerito, ſit cenſendus. Nec ea ſolum intelligo quæ aperte ſunt, turpia & plane indigna

quæ

quæ jubeantur à Pontifice: sed etiam ea quæ videntur honorifica, & quæ etiam ad ipsius Ecclesiæ ædificationem, leviter intuenti videntur conducere: ut autem quid mihi velim facilius intelligas, unico exemplo eoque clarissimo rem totam oculis subjiciam, ex quo cætera facile elucescent. Quid videtur hodie magis honorificum, quam ad Cardinalatus à multis tantopore expetitam pervenire dignitatem? Quid rursus ad Ecclesiæ ædificationem magis conferre creditur, quam si Pontifex eos Cardinales habeat à Conciliis qui & doctrina excellant, & ea vitæ sint sanctitate, ut exemplo non minus prosint, quam verbo? Et tamen poterit esse hujusmodi Episcopus, qui si à Pontifice cardinalitio Galero oblato Romam evocetur, longe melius Ecclesiæ sit consulturus, si oblatum honorem non admittens, & se excusans in sua Diœcesi maluerit, ut cœperat, residere quam Romam proficiscens inanem titulum quærere. Ponamus enim esse Episcopum, qui in iis habitet regionibus in quibus timeatur late serpens Hæresis, quam & Libris doctissime & elegantissime scriptis compescat, & sua auctoritate populum in officio contineat. Ponamus ergo cum remisso, qui honoris causa efferebatur galero, & se excusare & ita apud Pontificem agere.

Ego, Sanctissime Pater, quam possum maximas tibi ago gratias, quod me indignum tanto honore sis dignatus. Ego vero vel obviis, ut ajunt, ulnis cum excepissem & arctissime essem complexus, si id mihi liceret per meam vitæ conditionem: Sed cum in eo gradu sim collocatus, ut Episcopatum mihi jam-

jampridem mandatum administranti, ab ovili & scriptis & concionum latratu lupos procul arcenti, populo mihi commisso verbum Dei sincere prædicanti, & omnes Episcopi partes pro viribus implenti sit præsentia mea, in mea Diœcesi necessaria: ignoscas quæso, si galerum quantumvis honorificum minime duxerim esse accipiendum. Et certe, cum quid ex eo evenisset, ut verum dicam, apud me considero, video si accepissem, eo rem fuisse redituram, ut accepto galero, ipso jure meus vacasset Episcopatus: qui cuinam mandaretur, in hoc infelicissimo quo vigilantissimis Pastoribus opus est tempore, mihi valde providendum censebam. Jam vero si per Cardinalatum ex Episcopo factus essem non Episcopus, & in presbyterorum numerum essem cooptatus, non immerito censerer ab Equis, quod ajunt, descendisse ad Asinos. Ego certe non possum adeo esse Aërianus, ut non Episcopi majorem esse censeam dignitatem, quam presbyteri; quantumvis ergo fuissem Cardinalis, nihil aliud fuissem quam presbyter. Quod mihi fuisset gravius adhuc si cum in meo Episcopatu, sit frequentissimus apud quem soleo concionari populus, Romæ mihi esset assignatus, cujusmodi sunt permulti, Titulus, in quo nullus esset populus: & in quo esset hujusmodi ædes sacra, ut dignior videretur in qua staret Hara quam Ara. Dices forte beatiss. Pater non esse cur recusem accipere galerum: Nam & si ipso jure meus vacet Episcopatus, eum tamen mihi redditum iri: ut qui quadam veluti fiducia sit rursus mihi commendandus: futurum est ergo ut sim non

verus

verus Episcopus : quod quidem tantum abest, ut mihi persuaderi possit, ut nullam aliam rem Christianæ Reipublicæ majorem arbitrer creare perniciem, quam hanc fiduciariam Episcopatuum & procul dissitorum Monasteriorum Cardinalibus commendationem : qua nihil est aliud, quam Ecclesiarum & Monasteriorum proventus eis commendandos propinare : dum ipsi Ecclesias & Monasteria deserant, imo nec semel quidem invisant. Hoc exemplum cum à Roma tanquam à capite ad cætera membra sit derivatum, incredibile est quantam calamitatem Christi attulit Ecclesiæ, tantam certe ut nisi Christus nos respexerit, & ad lapsam reparandam Ecclesiasticam disciplinam te, Sanctiss. Pater, inspiraverit, de Petri Navicula, cujus tu clavum tenes, actum plane videatur: Quænam autem spes est fore, ut lapsus reparetur ordo Ecclesiasticus, quandiu Cardinales commendatorum sibi Episcopatuum & Monasteriorum fruentur proventibus: quæ ipsi ne per somnium quidem viderint? Quam vero hoc est miserandum & plane deplorandum, quod cum in Italia tot sint Diœceses, vix tamen vicesimus quisque Episcopus in sua Ecclesia residead, & populum pascat: Neque vero hoc te fugere potest beatissime Pater, cum omnes fere qui Romæ in aula tua Magistratus gerunt, & munera obeunt, ex eorum sint numero : & diebus festis in tuo sacello tantam eorum videre possis multitudinem, ut fere ex ea justus conscribi possit exercitus. An vero cum eos vides, non tibi quandoque venit in mentem, quot illic sint Episcopi tot in Italia te vidente & permittente deser-

desertas esse Diœceses? Visne te pro Christi vero, quod tuus tribuit Pontificatus gerere vicario? Eos omnes à tuo conspectu ad suas deserunt Ecclesias expelle: populumque docere, verbum Dei prædicare, & quæ sunt Episcoporum partes implere compelle: nihil potes facere, quod fame verbi Dei laboranti populo possit esse gratius, & ad reparandam disciplinam, quæ est maxime necessaria accommodatius. An vero cum tot sint in Italia Episcopi qui non resideant, æquum censebis ut Ego Cardinalis creatus, & nihilo Episcopus fiduciarius Romæ degens, meo exemplo ad non residendum cæteros Episcopos incitem, qui ad residendum Roma essent expellendi? Absit SS. Pater, ut quod vides plane iniquum, id à me fieri statuas. At dices fortasse, quod alioqui videri posset iniquum, æquum videri poterit, si consideres quod cum futurus esses, in Sanctissimo totius orbis Christiani conventu, in quo aguntur maximæ, quæ ad Christianam Rempublicam pertinent causæ, tu eis tuis Consiliis adjumenti plurimum adferre posses: Ego vero de me tam præclare non sentio, ut meum Consilium rebus hodie tam afflictis, aliquid opis afferre posse putem: Hoc unum scio, ad profligandas Hæreses & populum Christianum in officio continendum, non aliud præsentius esse remedium, quam si lapsa Ecclesiastica reparetur disciplina. Quam sit autem difficile eam reparare, ex hoc facile est conjicere, quod cum Doctissimis & Sanctissimis Cardinalibus Contareno, Sadoleto, Polo reformationis negotium mandasset Sanctæ memoriæ Paulus III. res habuit hunc exitum,

ut nullus inde sequutus sit effectus, Quamquam sit ea res ex se non multum difficilis : ex eo quidem est certe longe difficilior quod sæpe contingat, ut Pontifices qui reformationem sedulo cupere præ se ferunt, doctissimorum & optimorum virorum, quos ad se accersunt opera, non ad reformationem quam in vulgus jactant, sed ad suam stabiliendam potentiam abutantur. Hoc in te cadere SS. Pater tantum abest ut existimem, ut te nihil esse magis & re & nomine Pium iubens & sentiam & prædicem. Sed quoniam es in summo gradu potestatis collocatus, quo fit ut multorum sermonibus aures tuas patere necesse sit, tuque me Consilio nonnihil valere existimas, non verebor ea scribere, quæ tuæ sanctitati coram si liceret dicerem. Nullos Sanctissime Pater majores habes hostes quam tuos domesticos, qui tibi perpetuo assentantes, & ea ratione ad amplissimos honores sibi viam munientes, divinam tuam potestatem & auctoritatem semper habent in ore: quam quidem si quisspiam obstinato animo denegaret, is in impiorum numerum esset merito referendus. Falluntur autem, & fallunt, si qui existimant eam in eo esse sitam, ut tu probibeas eos quibus munera sunt mandata Ecclesiastica, ne iis, ut par est, fungantur, & populum sibi commissum pascant. Quod cum explicari non posit absque residentia, etiam atque etiam cavendum est, ne levi aliquo prætextu à suo officio à te ô Beatiss. P. avocentur Episcopi. Quoniam autem nihil est, quod ardentissimis omnium bonorum votis magis hodie exposcatur, quam ut Ecclesiastica reparetur disci-

plina:

plina : tuque si istic adessem à me fortasse de ea re Consilium caperes, paucis dicam quod sentio : quod ut pro summa tua humanitate in bonam partem accipias te rogo & obsecro. Non ea dicam quæ forte ab Assentatoribus audire es solitus, qui semper ea quæ joconda videntur auribus tuis instillant : Sed quæ videbuntur quidem paulo acerbiora, sunt autem ejusmodi omnium, qui recte sentiunt judicio, ut Ecclesiæ tibi commissæ ex iis salus pendeat. Vis ô Pie Pontifex Sanctiss. Ecclesiasticam reparare disciplinam? Vis certe, nec malevolorum qui de tua Sanctitate detraxerunt, maledicta mihi contrarium poterunt persuadere : Sed si vis, fac ut judicium à Domo Dei, à Domo, inquam, tua incipiat. Non vides quam barbarico prope dixerim luxu aula tua tota diffluat? Cardinalium tuorum quantus sit comitatus, quam multi Anteambulones, quanta eos sequentium Episcoporum Caterva : quam superbæ sunt eorum vestes, quam superbus comitum ornatus, quam superba etiam multarum frena & & ephippia, quam superba palatia. Quorsum in urbe Sancta auditur tot equorum hinnitus, tam sonorum tubarum & buccinarum clangor, tam horrendus bombardarum strepitus? Hæccine fieri in ea urbe in qua sita sunt duorum Christi Discipulorum Corpora : qui ab omni fastu fuerunt alienissimi, & hæc ab iis fieri, qui ut eorum sunt Successores, ita eorum oportuit vitam, quoad ejus fieri potuit imitari. Sunt hæc omnia, Beatissime Pater & Sanctissime, corrigenda, totusque hic nimis superbus & dissolutus vivendi modus ad frugalitatem

reducendus. Sed quo modo hoc fieri poterit, in tam corruptis hominum moribus : maxime cum nihil sit difficilius, quam assueta relinquere? Ego quidem nullam video aliam commodiorem rationem, quam si renovetur sextus Canon Concilii Chalcedonensis. Consideretur quinam sint Romæ tituli in quibus sit populus qui pascatur, doceatur, regatur, & Sacramenta ei administrentur? Ad quemlibet horum titulorum, cum ea vacare contigerit, ordinetur Cardinalis, qui ordinatus in eo prædicandi & Sacramenta administrandi suo fungatur munere, omni spe ei adempta potiundi alicujus Commendati Episcopatus aut Monasterii, in quo non possit residere. Eum suus alat Titulus : quod si in non possit, suppleat id quod deerit amplissimum Christi primum benignitate concessum, deinde Constantini, & Caroli Magni, ut cæteros omittam liberalitate Petri patrimonium. Ad eos autem Titulos ordinari poterunt non solum Romani, sed etiam externi, de quorum doctrina & nulli crimini affini vita erit satis constans & fama, modo ne sint Episcopi aut alicui Ecclesiastico muneri addicti, quod non possint deserere. Cæteri autem inanes Tituli, in quibus nullus est populus omnino supprimantur. Sed quoniam in eis multa templa antiqua religione sacra, ut quæ in honorem aliquorum matyrum, aut alioqui Sanctorum sunt consecrata, & ad quæ statis anni diebus soleat populus convenire, providebit summus Pontifex, ut ea sarta tecta maneant, & ad rem divinam faciendam, cum opus erit illuc conveniant Sacerdotes ex aliis Ecclesiis. Hæc nonnullis forte

tasse

tasse nova videbuntur, cum sint antiquissima, & à Synodi usque Chalcedonensis, quod imperante fuit Martiano, Pontificatum autem gerente SS. Leone I. temporibus repetita. Nova autem videntur; quoniam per quandam negligentiam, ne dicam pravitatem, sunt antiquata: hinc certe factum est, ut non novæ sint, sed veteres de iis quæ Romæ contra Ecclesiasticam disciplinam fiunt querolæ: quæ nonnullam dederunt occasionem, ut vel tam multæ sint Hæreses exortæ, vel non tam cito sint repressæ. Hoc Ecclesiasticæ disciplinæ veluti jacto fundamento, nihil est facilius quam reliqua superstruere: Nolo itaque in iis exponendis diutius immorari, sed ea cursim persequi, quæ tibi Beatiss. Pater sua sponte satis occurrerent. Primum itaque non est committendum, ut uni plura mandentur Ecclesiastica munera. Hoc enim antiquis plane repugnat Canonibus, deinde tollendæ sunt, quæ citra rationem fiunt in beneficiis, ut vocam conferendis summi Pontificis præventiones: nec illorum conferendorum alia illi debet esse causa, quam ut eorum suppleatur negligentia, quarum sunt partes conferre: utpote si exacto sexto mense, ipsi nondum contulerint: regularia dentur regularibus, secularia secularibus, residentia omnibus imperetur: nec ab ea esse immunem nisi ad tempus certis & justis de causis cuiquam concedatur. Concilia tam Metropolitani, quam Episcopi quotannis celebrentur: in quibus & de Ecclesiæ negotiis mature & deligenter inquiratur, & in Ecclesiasticos quos deliquisse constiterit, severe animadvertatur: Legati à sede Apostolica in

diversas orbis partes mittantur, qui quicquid ubique fiat diligenter observent, & ad summum Pontificem renuncient: ut si aliquos se male gerere intellexerit, eos vel missis Literis admoneat, & arguat: si res postulaverit eos etiam ad se evocet. Ipsi autem interea se integre & innocenter gerant: nec hoc sibi proponent, ut ordinariorum præoccupando conferendi vicesse & suos locupletent: Sed potius dent operam, ut Ordinarii in viros probos, & qui suscepto muneri pares esse possint conferant. Extremum est, quod mihi venit in mentem Beatiss. Pater, quod vel primum est omnium censendum: nempe ut quoad ejus fieri poterit, quæcumque in Curia expedientur Romana expediantur gratis, & deleatur illa macula, qua à priscis usque temporibus urbi insedit, OMNIA ROMÆ ESSE VENALIA. *Hæc sunt Beatiss. Pater, quæ si de Ecclesiastica disciplina reparanda rogarer essem responsurus: quæ cum tibi absens exposuerim, non est quod mea præsentis opera amplius tibi esse usui possit. Non est certe, quod hac in re ullius consilium desideres: Nemo est, qui melius Consilium tibi dare possit, quam tu ipse. Nunquam falleris si teipsum audies: teipsum, inquam, Spiritu Sancto afflatum, ad Christi universum regendam Ecclesiam. Nam qui te universæ voluit præesse Ecclesiæ: non est dubium, quin per Spiritum Sanctum eas tibi sæpissime immittat cogitationes, quæ summo Pastore sunt dignissimæ: de reformanda, inquam, Ecclesiastica disciplina tam in capite, quam in membris: quas si sequaris, & non sinas à tuorum domesticorum te improbis abripi Consiliis, (qui*

dum

dum suæ ambitioni serviunt, ne tua minuatur auctoritas, se semper timere præ se ferunt) longe erit felicissimus tuus Pontificatus, ut cujus tempore accidit, ut quod tam multis seculis fuit jam optatum, divinitus concederetur: nempe ut tam fœde lapsa Ecclesiastica restitueretur disciplina. Tibi certe quem Christus suum constituit vicarium, & cui plenam contulit potestatem, cum cæteri Episcopi sint tantum vocati in partem solicitudinis, esse debet persuasissimum, non alia ratione conservatum, atque adeo auctum & amplificatum iri tuam auctoritatem, quam si is quibus sunt mandata munera Ecclesiastica, in quibus Episcopatus præcipuum tenet locum, ea ut par est, strenue & diligenter obeant. Quod quidem facere non possint, si suas Ecclesias, nisi forte ad breve tempus & certis ac justis de causis deserant, tibi etiam atque etiam providendum est, ut perpetuo Decreto esse neceßariam statuas residentiam. Quamobrem, mihi quæso ignoscas, si oblatum Galerum non acceperim: neque enim vel mille tanti sunt Galeri, ut ad quam me Spiritus Sanctus posuit regendam Ecclesiam Dei, eam deseram, & à lupis qui eam undique circumsistunt, à perniciosissimis inquam Hæreticis per summam indignitatem discerpi & dilaniari sinam. Hæc si ille optimus & doctissimus Episcopus ad Pontificem Galerum remittens dixisset, detrectare ne Pontificis visus esset Imperium. An eas adferret excusationes quas non posset summus Pontifex non accipere? Id autem si fecißet num longe melius Ecclesiæ contulisset, quam si accepto Galero cum se duobus in locis videret non

posse residere, juris divini non esse diceret residentiam, ut qui timeret si juris divini esse pronunciaretur, ne eum à Canone non posset solvere Pontifex? Hinc genitæ sunt illæ lacrymæ: hinc tanta digladiatio, hinc tam vehemens contentio Cardinalium fere omnium, & eorum Episcoporum, qui de Pontificis auctoritate aliquid detrahi ægre ferre præ se ferunt: Cum nihil magis formident, quam ne Romæ suis relictis delitiis Episcopi munere præsentes per se fungi cogantur: atque quod is quidem Episcopus Galero accepto ἀκριβέστατον κανόνα *minime sit sequutus, nequaquam est vituperandus. Nam cum longissimi temporis præscriptione munita sit hæc consuetudo, ut idem possit esse presbyter & Cardinalis, & fiduciarius Episcopus, communi errore quivis, si modo error dicendus est, se potest tueri: ac majorem quidem certe ex repudiato Galero gloriam fuisset consequutus, & de universa Ecclesia longe fortasse melius meriturus. Quod autem juris divini neget esse residentiam, nescio quemadmodum sit excusandus: nisi forte dicatur id habere in mandatis, ut qui sit Legatus, ne dicam Ligatus. Quod si ita sit, quænam potest esse spes progressus Concilii, cum residentiam esse juris divini summus Pontifex, qui id sua sponte debebat decernere, per suorum, quod Deus avertat,* APERTAM PROHIBEAT CONSPIRATIONEM. *Videntur etiam Episcopi qui hoc asserunt, hoc non temere tuendum suscepisse. Universos enim diversæ ad id possunt movere causæ: Sunt enim quibus intoleranda, ut Ætna monte gravior videatur residentia: quod à Ro-*

à Romanis, quibus tamdiu assueverunt, & quæ Circeorum instar poculorum eos dementarunt delitiis abstrahi, vel ipsa morte pejus censent. Sunt qui à pinguiorum quos spe devorarunt Episcopatuum & Monasteriorum, & Cardinalitii etiam Galeri diuturna expectatione, momento temporis decidisse non ferendum arbitrantur. Non desunt quos male habet, quod cum quosdam Magistratus, seu quædam munera à Pontifice repræsentata emerint pecunia, ea si in suis residendum sit Ecclesiis obire non posse, & quos ex iis percipiunt proventibus se esse privandos intelligant. Sunt & alii minus mali, qui lubenter residerent & suo fungerentur officio: sed cum hoc etiam complectatur residentia, ut verbum Dei prædicent, inscitiæ suæ conscii, hoc nomine abhorreant residentiam: quod timeant ne si sit concionandum, plane quod sint esse videantur: nempe ὄνοι λύρας*: Sunt alii quorum causa videtur esse paulo æquior, & quorum querelæ in Concilio est omnino habenda ratio: ii sunt qui in suæ residere Diœcesi ideo ægre ferunt, quod à sua potestate exempti sunt Canonicorum, Conventus & omnes beneficiorum collationes, minimis quibusdam exceptis sibi reservarit Pontifex: atque ea sunt non justa quidem, quæ enim justa esse potest causa, ut quis recuset suo fungi munere? Sed quæ ad impellendum vim aliquam habent causæ, ut tam acriter defendant residentiam non esse juris divini, & quod eorum capitibus video imminere, (falsus utinam sim Vates) prudentes & scientes in apertum proruant exitium.*

At vos vos appello, Alphonse Salmeron & Jacobe Laines, quos ego non ignoro viros esse doctissimos, quosque hactenus judicavi esse optimos & vere pios: vos inquam, appello & rogo quidnam vos movit, ut & hanc tueremini sententiam: & miseris Episcopis, qui ad suum currunt exitium, frigidam ut ajunt, suffunderetis? Annon meministis quam pulchrum vobis titulum usurpetis: UT VOS DICATIS SODALES SODALITATIS JESU; *Si Sodalitatis Jesu vere estis Sodales, quod nobis verbo ostenditis, reipsa ostendite. Jesu estis Sodales? Jesu gloriam quærite. Estne aliquid quod ad Jesu Christi gloriam magis faciat, quam si quos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, ii præsentes ut par est, rite suo fungantur munere? Potestisne esse Jesu Sodales, & Jesu gloriam non quærere? Non queritis autem si impedimento estis quominus ejus ministri ei serviant: non serviunt autem si suis relictis Ecclesiis, suæ ambitioni serviant & libidini. Desinite in vulgus jactare, vos auctoritatem tueri summi Pontificis. Quid agant, quid moliantur, quid sibi residentiam juris esse divini asserunt, est jam lippis notum & tonsoribus. Pontificis Jesu Christi Vicarii auctoritatem, vos dicitis defendere: & interea Jesum ipsum cujus est vicarius, ignominia, probro, & dedecore, quod in vobis est, afficitis. Annon hoc est Jesum ignominia & dedecore afficere, eos qui ejus cultui sunt dedicati, ab ejus cultu abstrahere, & ad otium, ambitionem, & libidinem traducere? Vultisne vicarii majorem esse auctoritatem, quam* ejus

ejus cujus vices gerit? Vult Christus honorem sibi ab Episcopis haberi, sacrificia offerri? Populum & verbo & exemplo posci: Hoc si nolit Vicarius & neglecto Domino cujus vicem gerit, in se omnem honorem transferri velit, se coli, se observari, se frequenti Episcoporum comitatu ornari: Isne se pro Vicario, an potius pro Domina gerere censendus erit? Desinite, desinite inquam, auctoritatem jactare summi Pontificis: Pontificis auctoritatem nihil est, quod magis conservet, augeat & amplificet, quam si perpetuo caveatur Edicto & Decreto, esse juris divini residentiam: Cum ita futurum sit, ut Christus laudetur, honoretur, & amplificetur: nec Pontificis auctoritas à Christi cujus vicem gerit auctoritate, gloria & honore potest separari, nisi forte se non pro Vicario, sed pro Domino velit gerere: & non Principis Pastorum vicem sustinere sed Tyrannidem, quod Christus prohibet exercere. Quid vos, inquam, movit, ut male sibi & Ecclesiæ consulenti Pontifici, si modo verum sit, quod hoc decretum nolit fieri, hac in re gratificaremini? Nam cum ita vestrum institutum sit Cœnobium, ut omnibus quæ sunt mundi renunciaveritis, proprietatem omnem & possessionem à vobis abdicaveritis, rerum divinarum contemplationi, bonisque & piis actionibus vos totas dedicaveritis: non possum mihi persuadere, vos aliquid ambire à summo Pontifice. Sed quicquid sit, nempe non me decet in rebus aliorum nimis esse curiosum, videtis quantopere ab omnibus omnium hominum ordinibus postuletur lapsæ Ecclesiasticæ

di-

disciplinæ restitutio, quæ est adeo necessaria, ut frustra scripturis aut argumentis, quod minime est difficile convincantur, frustra Anathematis fulmine, quod minoris quam fulgur ex vitro æstimant, à Concilio feriantur Hæretici, quamdiu oculis hominum observabuntur ministrorum Ecclesiasticorum, inprimis autem Curiæ Romanæ abusus, fieri non poterit, ut populus contineatur in officio. Hoc videt prudentissimus, & religiosissimus Princeps Imperator Ferdinandus, qui de ea re per suos Oratores sæpius admonuit Concilium, & scriptis ad Pontificem literis, quænam esset sua sententia exposuit. Vident cæteri quoque Principes, qui per suos legatos nihil aliud urgent: imovero hoc solum urgent, ut fiat reformatio: videt illustrissimus & inprimis reverendus Cardinalis Lotharingus: Cujus opera cum in rebus afflictissimis Franciæ Regno potuisset esse utilissima, omnibus posthabitis venit ad Concilium sedulo conaturus, ut id persuaderet quod est maxime necessarium. Vident cæteri omnes, ii soli non vident, quorum ut ea fiant maxime interest: Non vident autem, ut existimo quoniam Deus excæcavit eos, vult eos occidere. Hujus reparandæ Ecclesiasticæ disciplinæ & reformationis caput & initium est, ut provideatur, ut quilibet qui munus suscepit Ecclesiasticum, in sua resideat Ecclesia. Provideri autem melius non potest, quam si statuatur residentiam esse juris divini. Hoc cum intellexisset callidus Cacodæmon, tam multos excitavit, quid enim aliud dicam, & Episcopos & alios, qui hoc jus divinum tam acriter oppugnarent: IN-

TER QUOS TE ESSE MI ALPHONSE CUM REVERENDO LAINES, *pro vetere nostra amicitia non possum non dolere. Optarem quidem certe, ut si & ipsa vobis persuadeat veritas, & vestra dictet conscientia juris esse divini residentiam, divum imitati Augustinum caneretis palinodiam. Digni certe estis, qui omnem ingenii & doctrinæ vestræ vim, quæ est longe maxima, in hoc conferatis, ut divini juris statuatur esse residentia: & quod jam tot seculis frustra desideratum est, reparetur lapsa Ecclesiastica disciplina. Quod nisi fiat in hoc Concilio, Deus mala probibeat, quæ video impendere ordini Ecclesiastico. Jam enim videre licet egressam iram Dei, quæ gladium suum vibravit, arcum suum tetendit, & in eo paravit vasa mortis. Non possum certe non timere, ne si peccata nostra non corrigamus, & ut melius in posterum vivatur provideamus, eventurum tandem sit, quod prædixit Sybilla nempe* ῥώμην *futuram* ῥύμην *Et forte ex uno ex septem collibus ingentem ejus ruinam aliquis conspicatus magna voce exclamabit: Ecce Babylon magna, &c. Hoc ne accidat Deus est à nobis precibus & pœnitentia placandus: & restituendo lapsam Ecclesiasticam disciplinam reconciliandus. Ad quod persuadendum ut fiat, si omnes vestros ingenii & doctrinæ nervos intenderetis, ea quæ vos decent faceretis, & à Deo maximam mercedem nempe immortalem gloriam referetis. Vale Tridenti in Cubili, quinto Kalendis Aprilis* 1563.

Hæc

ut nullus inde sequutus sit effectus, Quamquam sit ea res ex se non multum difficilis : ex eo quidem est certe longe difficilior quod sæpe contingat, ut Pontifices qui reformationem sedulo cupere præ se ferunt, doctissimorum & optimorum virorum, quos ad se accersunt opera, non ad reformationem quam in vulgus jactant, sed ad suam stabiliendam potentiam abutantur. Hoc in te cadere SS. Pater tantum abest ut existimem, ut te nihil esse magis & re & nomine Pium iubens & sentiam & prædicem. Sed quoniam es in summo gradu potestatis collocatus, quo fit ut multorum sermonibus aures tuas patere necesse sit, tuque me Consilio nonnihil valere existimas, non verebor ea scribere, quæ tuæ sanctitati coram si liceret dicerem. Nullos Sanctissime Pater majores habes hostes quam tuos domesticos, qui tibi perpetuo assentantes, & ea ratione ad amplissimos honores sibi viam munientes, divinam tuam potestatem & auctoritatem semper habent in ore: quam quidem si quispiam obstinato animo denegaret, is in impiorum numerum esset merito referendus. Falluntur autem, & fallunt, si qui existimant eam in eo esse sitam, ut tu probibeas eos quibus munera sunt mandata Ecclesiastica, ne iis, ut par est, fungantur, & populum sibi commissum pascant. Quod cum explicari non possit absque residentia, etiam atque etiam cavendum est, ne levi aliquo prætextu à suo officio à te ô Beatiss. P. avocentur Episcopi. Quoniam autem nihil est, quod ardentissimis omnium bonorum votis magis hodie exposcatur, quam ut Ecclesiastica reparetur disci-

plina:

plina: tuque si istic adessem à me fortasse de ea re Consilium caperes, paucis dicam quod sentio: quod ut pro summa tua humanitate in bonam partem accipias te rogo & obsecro. Non ea dicam quæ forte ab Assentatoribus audire es solitus, qui semper ea quæ joconda videntur auribus tuis instillant: Sed quæ videbuntur quidem paulo acerbiora, sunt autem ejusmodi omnium, qui recte sentiunt judicio, ut Ecclesiæ tibi commissæ ex iis salus pendeat. Vis ó Pie Pontifex Sanctiss. Ecclesiasticam reparare disciplinam? Vis certe, nec malevolorum qui de tua Sanctitate detraxerunt, maledicta mihi contrarium poterunt persuadere: Sed si vis, fac ut judicium à Domo Dei, à Domo, inquam, tua incipiat. Non vides quam barbarico prope dixerim luxu aula tua tota diffluat? Cardinalium tuorum quantus sit comitatus, quam multi Anteambulones, quanta eos sequentium Episcoporum Caterva: quam superbæ sunt eorum vestes, quam superbus comitum ornatus, quam superba etiam multarum frena & & ephippia, quam superba palatia. Quorsum in urbe Sancta auditur tot equorum hinnitus, tam sonorum tubarum & buccinarum clangor, tam horrendus bombardarum strepitus? Hæccine fieri in ea urbe in qua sita sunt duorum Christi Discipulorum Corpora: qui ab omni fastu fuerunt alienissimi, & hæc ab iis fieri, qui ut eorum sunt Successores, ita eorum oportuit vitam, quoad ejus fieri potuit imitari. Sunt hæc omnia, Beatissime Pater & Sanctissime, corrigenda, totusque hic nimis superbus & dissolutus vivendi modus ad frugalitatem re-

reducendus. Sed quo modo hoc fieri poterit, in tam corruptis hominum moribus : maxime cum nihil sit difficilius, quam assueta relinquere? Ego quidem nullam video aliam commodiorem rationem, quam si renovetur sextus Canon Concilii Chalcedonensis. Consideretur quinam sint Romæ tituli in quibus sit populus qui pascatur, doceatur, regatur, & Sacramenta ei administrentur? Ad quemlibet horum titulorum, cum ea vacare contigerit, ordinetur Cardinalis, qui ordinatus in eo prædicandi & Sacramenta administrandi suo fungatur munere, omni spe ei adempta potiundi alicujus Commendati Episcopatus aut Monasterii, in quo non possit residere. Eum suus alat Titulus : quod si in non possit, suppleat id quod deerit amplissimum Christi primum benignitate concessum, deinde Constantini, & Caroli Magni, ut cæteros omittam liberalitate Petri patrimonium. Ad eos autem Titulos ordinari poterunt non solum Romani, sed etiam externi, de quorum doctrina & nulli crimini affini vita erit satis constans & fama, modo ne sint Episcopi aut alicui Ecclesiastico muneri addicti, quod non possint deserere. Cæteri autem inanes Tituli, in quibus nullus est populus omnino supprimantur. Sed quoniam in eis multa templa antiqua religione sacra, ut quæ in honorem aliquorum matyrum, aut alioqui Sanctorum sunt consecrata, & ad quæ statis anni diebus soleat populus convenire, providebit summus Pontifex, ut ea sarta tecta maneant, & ad rem divinam faciendam, cum opus erit illuc conveniant Sacerdotes ex aliis Ecclesiis. Hæc nonnullis fortasse

tasse nova videbuntur, cum sint antiquissima, & à Synodi usque Chalcedonensis, quod imperante fuit Martiano, Pontificatum autem gerente SS. Leone I. temporibus repetita. Nova autem videntur; quoniam per quandam negligentiam, ne dicam pravitatem, sunt antiquata: hinc certe factum est, ut non novæ sint, sed veteres de iis quæ Romæ contra Ecclesiasticam disciplinam fiunt querelæ: quæ nonnullam dederunt occasionem, ut vel tam multæ sint Hæreses exortæ, vel non tam cito sint repressæ. Hoc Ecclesiasticæ disciplinæ veluti jacto fundamento, nihil est facilius quam reliqua superstruere: Nolo itaque in iis exponendis diutius immorari, sed ea cursim persequi, quæ tibi Beatiss. Pater sua sponte satis occurrerent. Primum itaque non est committendum, ut uni plura mandentur Ecclesiastica munera. Hoc enim antiquis plane repugnat Canonibus, deinde tollendæ sunt, quæ citra rationem fiunt in beneficiis, ut vocam conferendis summi Pontificis præventiones: nec illorum conferendorum alia illi debet esse causa, quam ut eorum suppleatur negligentia, quarum sunt partes conferre: utpote si exacto sexto mense, ipsi nondum contulerint: regularia dentur regularibus, secularia secularibus, residentia omnibus imperetur: nec ab ea esse immunem nisi ad tempus certis & justis de causis cuiquam concedatur. Concilia tam Metropolitani, quam Episcopi quotannis celebrentur: in quibus & de Ecclesiæ negotiis mature & deligenter inquiratur, & in Ecclesiasticos quos deliquisse constiterit, severe animadvertatur: Legati à sede Apostolica in

diversas orbis partes mittantur, qui quicquid ubique fiat diligenter observent, & ad summum Pontificem renuncient: ut si aliquos se male gerere intellexerit, eos vel missis Literis admoneat, & arguat: si res postulaverit eos etiam ad se evocet. Ipsi autem interea se integre & innocenter gerant: nec hoc sibi proponent, ut ordinariorum præoccupando conferendi vices se & suos locupletent: Sed potius dent operam, ut Ordinarii in viros probos, & qui suscepto muneri pares esse possint conferant. Extremum est, quod mihi venit in mentem Beatiss. Pater, quod vel primum est omnium censendum: nempe ut quoad ejus fieri poterit, quæcumque in Curia expedientur Romana expediantur gratis, & deleatur illa macula, qua à priscis usque temporibus urbi insedit, OMNIA ROMÆ ESSE VENALIA. *Hæc sunt Beatiss. Pater, quæ si de Ecclesiastica disciplina reparanda rogarer essem responsurus: quæ cum tibi absens exposuerim, non est quod mea præsentis opera amplius tibi esse usui possit. Non est certe, quod hac in re ullius consilium desideres: Nemo est, qui melius Consilium tibi dare possit, quam tu ipse. Nunquam falleris si teipsum audies: teipsum, inquam, Spiritu Sancto afflatum, ad Christi universum regendam Ecclesiam. Nam qui te universæ voluit præesse Ecclesiæ: non est dubium, quin per Spiritum Sanctum eas tibi sæpissime immittat cogitationes, quæ summo Pastore sunt dignissimæ: de reformanda, inquam, Ecclesiastica disciplina tam in capite, quam in membris: quas si sequaris, & non sinas à tuorum domesticorum te improbis abripi Consiliis, (qui*

dum

dum suæ ambitioni serviunt, ne tua minuatur aucto-ritas, se semper timere præ se ferunt) longe erit feli-cissimus tuus Pontificatus, ut cujus tempore accidit, ut quod tam multis seculis fuit jam optatum, divini-tus concederetur: nempe ut tam fœde lapsa Ecclesia-stica restitueretur disciplina. Tibi certe quem Christus suum constituit vicarium, & cui plenam contulit po-testatem, cum cæteri Episcopi sint tantum vocati in partem solicitudinis, esse debet persuasissimum, non alia ratione conservatum, atque adeo auctum & amplificatum iri tuam auctoritatem, quam si is quibus sunt mandata munera Ecclesiastica, in qui-bus Episcopatus præcipuum tenet locum, ea ut par est, strenue & diligenter obeant. Quod quidem facere non possint, si suas Ecclesias, nisi forte ad breve tempus & certis ac justis de causis deserant, tibi etiam atque etiam providendum est, ut perpe-tuo Decreto esse necessariam statuas residentiam. Quamobrem, mihi quæso ignoscas, si oblatum Galerum non acceperim: neque enim vel mille tan-ti sunt Galeri, ut ad quam me Spiritus Sanctus posuit regendam Ecclesiam Dei, eam deseram, & à lupis qui eam undique circumsistunt, à pernicio-sissimis inquam Hæreticis per summam indignitatem discerpi & dilaniari sinam. Hæc si ille optimus & doctissimus Episcopus ad Pontificem Galerum re-mittens dixisset, detrectare ne Pontificis visus esset Imperium. An eas adferret excusationes quas non posset summus Pontifex non accipere? Id autem si fecisset num longe melius Ecclesiæ contulisset, quam si accepto Galero cum se duobus in locis videret non

 posse

posse residere, juris divini non esse diceret residentiam, ut qui timeret si juris divini esse pronunciaretur, ne eum à Canone non posset solvere Pontifex? Hinc genitæ sunt illæ lacrymæ: hinc tanta digladiatio, hinc tam vehemens contentio Cardinalium fere omnium, & eorum Episcoporum, qui de Pontificis auctoritate aliquid detrahi ægre ferre præ se ferunt: Cum nihil magis formident, quam ne Romæ suis relictis delitiis Episcopi munere præsentes per se fungi cogantur: atque quod is quidem Episcopus Galero accepto ἀκριβέστατον κανόνα minime sit sequutus, nequaquam est vituperandus. Nam cum longissimi temporis præscriptione munita sit hæc consuetudo, ut idem possit esse presbyter & Cardinalis, & fiduciarius Episcopus, communi errore quivis, si modo error dicendus est, se potest tueri: ac majorem quidem certe ex repudiato Galero gloriam fuisset consequutus, & de universa Ecclesia longe fortasse melius meriturus. Quod autem juris divini neget esse residentiam, nescio quemadmodum sit excusandus: nisi forte dicatur id habere in mandatis, ut qui sit Legatus, ne dicam Ligatus. Quod si ita sit, quænam potest esse spes progressus Concilii, cum residentiam esse juris divini summus Pontifex, qui id sua sponte debebat decernere, per suorum, quod Deus avertat, APERTAM PROHIBEAT CONSPIRATIONEM. *Videntur etiam Episcopi qui hoc asserunt, hoc non temere tuendum suscepisse.* Universos *enim diversæ ad id possunt movere causæ: Sunt enim quibus intoleranda, ut Ætna monte gravior videatur residentia: quod*

à Ro-

à Romanis, quibus tamdiu assueverunt, & quæ Circeorum instar poculorum eos dementarunt delitiis abstrahi, vel ipsa morte pejus censent. Sunt qui à pinguiorum quos spe devorarunt Episcopatuum & Monasteriorum, & Cardinalitii etiam Galeri diuturna expectatione, momento temporis decidisse non ferendum arbitrantur. Non desunt quos male habet, quod cum quosdam Magistratus, seu quædam munera à Pontifice repræsentata emerint pecunia, ea si in suis residendum sit Ecclesiis obire non posse, & quos ex iis percipiunt proventibus se esse privandos intelligant. Sunt & alii minus mali, qui lubenter residerent & suo fungerentur officio: sed cum hoc etiam complectatur residentia, ut verbum Dei prædicent, inscitiæ suæ conscii, hoc nomine abhorreant residentiam: quod timeant ne si sit concionandum, plane quod sint esse videantur: nempe ὄνοι λύρας*: Sunt alii quorum causa videtur esse paulo æquior, & quorum querelæ in Concilio est omnino habenda ratio: ii sunt qui in suæ residere Diœcesi ideo ægre ferunt, quod à sua potestate exempti sunt Canonicorum, Conventus & omnes beneficiorum collationes, minimis quibusdam exceptis sibi reservarit Pontifex: atque ea sunt non justa quidem, quæ enim justa esse potest causa, ut quis recuset suo fungi munere? Sed quæ ad impellendum vim aliquam habent causæ, ut tam acriter defendant residentiam non esse juris divini, & quod eorum capitibus video imminere, (falsus utinam sim Vates) prudentes & scientes in apertum proruant exitium.*

P 5 *At*

At vos vos appello, Alphonse Salmeron & Jacobe Laines, quos ego non ignoro viros esse doctissimos, quosque hactenus judicavi esse optimos & vere pios: vos inquam, appello & rogo quidnam vos movit, ut & hanc tueremini sententiam: & miseris Episcopis, qui ad suum currunt exitium, frigidam ut ajunt, suffunderetis? Annon meministis quam pulchrum vobis titulum usurpetis: UT VOS DICATIS SODALES SODALITATIS JESU; *Si Sodalitatis Jesu vere estis Sodales, quod nobis verbo ostenditis, reipsa ostendite. Jesu estis Sodales? Jesu gloriam quærite. Estne aliquid quod ad Jesu Christi gloriam magis faciat, quam si quos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, ii præsentes ut par est, rite suo fungantur munere? Potestisne esse Jesu Sodales, & Jesu gloriam non quærere? Non queritis autem si impedimento estis quominus ejus ministri ei serviant: non serviunt autem si suis relictis Ecclesiis, suæ ambitioni serviant & libidini. Desinite in vulgus jactare vos auctoritatem tueri summi Pontificis. Quid agant, quid moliantur, quid sibi residentiam juris esse divini asserunt, est jam lippis notum & tonsoribus. Pontificis Jesu Christi Vicarii auctoritatem, vos dicitis defendere: & interea Jesum ipsum cujus est vicarius, ignominia, probro, & dedecore, quod in vobis est, afficitis. Annon hoc est Jesum ignominia & dedecore afficere, eos qui ejus cultui sunt dedicati, ab ejus cultu abstrahere, & ad otium, ambitionem, & libidinem traducere? Vultisne vicarii majorem esse auctoritatem, quam*

ejus

ejus cujus vices gerit? Vult Christus honorem sibi ab Episcopis haberi, sacrificia offerri? Populum & verbo & exemplo posci: Hoc si nolit Vicarius & neglecto Domino cujus vicem gerit, in se omnem honorem transferri velit, se coli, se observari, se frequenti Episcoporum comitatu ornari: Isne se pro Vicario, an potius pro Domina gerere censendus erit? Desinite, desinite inquam, auctoritatem jactare summi Pontificis: Pontificis auctoritatem nihil est, quod magis conservet, augeat & amplificet, quam si perpetuo caveatur Edicto & Decreto, esse juris divini residentiam: Cum ita futurum sit, ut Christus laudetur, honoretur, & amplificetur: nec Pontificis auctoritas à Christi cujus vicem gerit auctoritate, gloria & honore potest separari, nisi forte se non pro Vicario, sed pro Domino velit gerere: & non Principis Pastorum vicem sustinere sed Tyrannidem, quod Christus prohibet exercere. Quid vos, inquam, movit, ut male sibi & Ecclesiæ consulenti Pontifici, si modo verum sit, quod hoc decretum nolit fieri, hac in re gratificaremini? Nam cum ita vestrum institutum sit Cœnobium, ut omnibus quæ sunt mundi renunciaveritis, proprietatem omnem & possessionem à vobis abdicaveritis, rerum divinarum contemplationi, bonisque & piis actionibus vos totas dedicaveritis: non possum mihi persuadere, vos aliquid ambire à summo Pontifice. Sed quicquid sit, nempe non me decet in rebus aliorum nimis esse curiosum, videtis quantopere ab omnibus omnium hominum ordinibus postuletur lapsæ Ecclesiasticæ

di-

TER QUOS TE ESSE MI ALPHONSE CUM REVERENDO LAINES, *pro vetere nostra amicitia non possum non dolere. Optarem quidem certe, ut si & ipsa vobis persuadeat veritas, & vestra dictet conscientia juris esse divini residentiam, divum imitati Augustinum caneretis palinodiam. Digni certe estis, qui omnem ingenii & doctrinæ vestræ vim, quæ est longe maxima, in hoc conferatis, ut divini juris statuatur esse residentia: & quod jam tot seculis frustra desideratum est, reparetur lapsa Ecclesiastica disciplina. Quod nisi fiat in hoc Concilio, Deus mala probibeat, quæ video impendere ordini Ecclesiastico. Jam enim videre licet egressam iram Dei, quæ gladium suum vibravit, arcum suum tetendit, & in eo paravit vasa mortis. Non possum certe non timere, ne si peccata nostra non corrigamus, & ut melius in posterum vivatur provideamus, eventurum tandem sit, quod prædixit Sybilla nempe* ῥώμην *futuram* ῥύμην *Et forte ex uno ex septem collibus ingentem ejus ruinam aliquis conspicatus magna voce exclamabit: Ecce Babylon magna, &c. Hoc ne accidat Deus est à nobis precibus & pœnitentia placandus: & restituendo lapsam Ecclesiasticam disciplinam reconciliandus. Ad quod persuadendum ut fiat, si omnes vestros ingenii & doctrinæ nervos intenderetis, ea quæ vos decent faceretis, & à Deo maximam mercedem nempe immortalem gloriam referetis. Vale Tridenti in Cubili, quinto Kalendis Aprilis* 1563.

Hæc

Hæc Nobilis Epiſtola Gentiani Herveti multa nobis Arcana Tridentini Concilii, & neceſſitatem reformandæ Eccleſiæ, necnon Curiæ Romanæ abuſus & factiones clariſſime detegit : magna autem pars eorum quæ hic narrantur, de emendanda Eccleſia excerpta ſunt ex ejuſdem Herveti libello de reparanda Eccleſiaſticorum diſciplina, Edito Pariſiis Anno 1561. apud Nicolaum Cheſneau. Verum cauſa hujus ſcribendæ Epiſtolæ ex Alphonſi Salmeronis Jeſuitæ Colloquio cum Gentiano nata eſt: ille enim cum Gentianum ægrotum Tridenti inviſeret, atque ultro citroque ſermones agitarent de rebus ad Concilium ſpectantibus, & potiſſimum de reſidentia Paſtorum, quæ una cum Sacramento ordinis tum à Patribus tractabatur, id huic ſcriptioni occaſionem præbuit : atque inter alia valde notandum, Patres in hoc Decreto de reſidentia conſtituendo, vel potius prorogando & declinando, ſex integros menſes, propter factioſas Curiæ Romanæ prenſationes inſumpſiſſe : neque tamen ab Italiæ Epiſcopis, qui reliquos omnes numero vincebant obtineri unquam potuiſſe, ut Reſidentia juris eſſe divini ſtatueretur. Hercle quidem, ſi Nicænam Synodum excipias, vix ullum ex octo primis generalibus Conciliis reperies, in quo tantum temporis, quantum in hoc ſolo Decreto definiendo, impenſum fuerit : Imo vero, uno quoque die una

una actio vel sessio perficiebatur, ut libro hujus Historiæ probavimus. Idque in hac Epistola primo venit observandum.

Secundum notabile est, Alphonsum Salmeronem Herveto miranti cur tandiu Patribus, aqua in definienda residentia hæreret: Respondisse, nunquam permissurum Pontificem, & qui ejus partes sequebantur, Episcopos Italiæ intelligit, ut residentia juris esse divini statueretur, quoniam hoc Pontificiæ Auctoritati derogaret: Ita ut pro animi sui arbitrio, non posset ad se Episcopos accersere, aut quo vellet mittere, &c. Et hinc claret, Concilium non liberum, sed ut idem ait Hervetus in calce Epistolæ, manifestam fuisse assectarum Curiæ Romanæ conspirationem, de qua notabili decimo tertio.

Tertio, quod Salmeron causatur, Cajetanum omnium primum scripsisse residentiam juris esse divini: opponitur, quandiu disciplina Apostolica & jus commune viguerunt, neminem extitisse qui de ea re dubitaret: ac proinde nihil opus fuisse eam in rem aliquid commentari, nisi postquam summi Pontifices, sibi absolutam Monarchiam arrogarunt: atque Episcopos quasi *tabernacula Pastorum*, de loco ad locum pro lubito transportare voluerunt. Porro Cajetanus pridem antequam esset Cardinalis, lucubravit Commentarios in summam D. Thomæ, ubi residentiam juris esse divini disputat, secunda

secun-

ſecundæ quæſt. centeſima octuageſima quinta Articulo V. quo quæritur, *Utrum liceat Epiſcopo propter aliquam perſequutionem Corporalem deſerere gregem ſibi commiſſum.* Fallitur ergo Hervetus putans Cajetanum, hæc ſcripſiſſe poſt Galerum adeptum.

Quarto, hoc memorabile eſt Tridentinum Concilium indictum & coactum, ut hæreſes profligentur & lapſa diſciplina recuperetur: Sed jam manibus quodammodo palpari, tenebras offundi ſimplicibus, & aliud ſimulari, qui dolus eſt malus, inquit Hervetus: ejuſque rei culpam hærere in ambitione Curiæ Romanæ: adnectit Epiſcopos atque alios, qui ſunt impedimento quominus definiatur reſidentiam eſſe juris divini maximam Pontifici creare invidiam apud Catholicos: & illos plane cæcos eſſe, qui hac ratione auctoritatem Pontificis tutatum iri, contra autem alios ei detrahere, qui reſidentiam juris eſſe divini dicunt, cum nihil ſit quod Pontificis auctoritatem æque muniat & corroboret, quam ſi omnes Eccleſiaſticos reſidere, & ſuo recte defungi munere jubeat, quod abſque reſidentia impleri penitus impoſſibile eſt.

Quinto, quibus de cauſis poſſit aliquando Epiſcopus à grege ſuo abeſſe planum eo ipſo reddi, quod licet reſidentia juris ſit divini, tamen id moraliter intelligendum eſt, ſicut & cohabitatio viri cum conjuge ſua, &c.

Sexto, per ſchematiſmum aut figuratam ora-

orationem, ſub perſona Epiſcopi quem Pontifex, vocat ad Galeri Cardinalitii dignitatem, oſtendit quam neceſſaria ſit Eccleſiæ, ſed præſertim Curiæ Romanæ inſtauratio, quam narrationem Hervetus magna parte ex libello ſuo, de reparanda Eccleſiaſticorum diſciplina cujus ſupra memini, excerpſit.

Septimo, docet Cardinales neque veros eſſe presbyteros neque Epiſcopos, ſed duntaxat fiduciarios & commendatarios: ac ejuſmodi fiducias & commendas eſſe peſtem totius ordinis Eccleſiaſtici, probitatis morem, omniumque Monaſteriorum atque Epiſcopatuum : ac proinde reformationem ab hoc Collegio eſſe ordiendam, eoque ſtante quale eſt, fruſtra Eccleſiæ emendationem ſperari : quod tam certum quam quod certiſſimum eſt, hinc enim totius Eccleſiæ & religionis ruina.

Octavo, omnes Epiſcopos Italiæ ordinario, in Aula & Capella Papa ipſo vidente, atque approbante verſari : neminemque reſidere, ut Curia Pontificis celebrior ſit & frequentior : hocque Bartolomæus Caranza Dominicanus Hiſpanus, qui ſub Paulo III. Tridentino Concilio interfuit teſtatur in opſculo, quod ſcripſit pro reſidentia adverſus Catharinum, & Campegium, de qua re pluribus egi Lib. II. defenſionis Libelli de Eccleſiaſtica & politica poteſtate.

Nono, quæritur Concilium Selectorum

Cardinalium jussu Pauli III. editum, de quo supra numero quarto hujus Libri nihili prorsus fieri: atque Romanos Pontifices de more habere viros doctissimos, prætextu reformandæ Ecclesiæ plerumque ad se evocare, eisque tamen non ad instaurandam in melius disciplinam: sed ad suam potentiam ferruminandam uti consuevisse. Hoc enim est arcanum Imperii Curialium.

Decimo, Pontificem nullos habere infestiores hostes, quam proprios Domesticos & Curiæ Romanæ asseclas: quippe qui potestate divinitus concessa Petro, ad suas res privatas faciendas adulatorie abutantur: quasi potestas collata fuisset Petro, in destructionem & non in ædificationem Ecclesiæ, & ad terrenas opes cumulandas, non ad salutem animarum quæ sunt verum, atque genuinum Christi & Ecclesiæ patrimonium.

Undecimo, principium Ecclesiæ instaurandæ à Curia ipsa Pontificis, & barbarico luxu Collegii Cardinalium, atque aliorum aulicorum esse faciendum. *Quorsum in urbe Sancta auditur tot equorum hinnitus, tam sonorum tubarum & buccinarum clangor, tam horrendus bombardarum strepitus*, ait Hervetus: quibus verbis voluisse describere videtur, morem & consuetudinem usitatam Romæ, quando Papa defertur in Capellam ad missam audiendam, &c.

Duodecimo, fundamentum reformationis

nis Ecclesiæ ab innovatione sexti Canonis Synodi Chalcedonensis pendere: quem Canonem hic adscribam ex ejusdem Gentiani versione in Nomocanone Photii: *Nullum absolute ordinari, nec presbyterum, nec Diaconum, nec omnino aliquem eorum, qui sunt in ordine Ecclesiastico, nisi specialiter in Ecclesia Civitatis, vel pagi, vel Matryrio, vel Monasterio, is qui ordinatur designetur. Eos autem qui absolute ordinantur decrevit Sancta Synodus, irritam ac invalidam habere ejusmodi manuum impositionem, & nusquam exercere ac operari posse, ad ejus qui ordinavit injuriam*; De quo Canone Hervetus plura disputat memorato libello, *de reparanda Ecclesiasticorum disciplina*, & nos lib. quarto defensionis libelli de Ecclesiastica & politica potestate.

Decimo tertio, narrat Legatum Pontificis in Tridentino Concilio, negasse residentiam esse juris divini, idque videri habuisse in mandatis: ac proinde Ligatum non Legatum fuisse. *Quod si ita sit, quænam potest esse spes progressus Concilii, cum residentiam esse juris divini summus Pontifex, qui id sua sponte debebat decernere, per suorum, quod Deus avertat, apertam prohibeat conspirationem; videntur etiam Episcopi qui hoc asserunt, hoc non tenere tuendum suscepisse*, inquit Gentianus.

Decimo quarto, notat permultos Episcopos ideo residere nolle in suis Episcopatibus, quoniam privilegia & exemptiones à Ponti-

ficibus Romanis partim Capitulis Canonicorum, partim Monachis atque aliis privilegiatis collatæ, sunt in causa ut Episcopi legitima sua potestate uti nequeant: qua de re Episcopos sæpe conquestos fuisse in Synodo Tridentina, nec tamen ullam rationem querelarum ejusmodi habitam accepimus.

Decimo quinto, permagnum nobis reserat mysterium, facta Apostrophe ad Alphonsum Salmeronem & Jacobum Laines Jesuitas: scilicet qua fini quartum votum, de obediendo summo Pontifici ab Jesuitis edatur: hi enim obtendunt hac solum de causa emitti, ut Jesuitæ in exteras Nationes ad Hæræticos, & infideles convertendos mittantur à Pontifice. Verum hinc claret, idque in ipsis incunabulis Sodalitii Jesuitas hoc voto, non quidem gloriam Dei, quam voce & scriptis semper obtendunt, sed unius Curiæ Romanæ & absolutæ Monarchiæ potentatum, etiam contra propriam gloriam Dei, & in manifestam Ecclesiæ ruinam teneri promovere. Cæterum Jacobus Laines & Alphonsus Salmeron, quos his alloquitur Hervetus, non erant ex gregalibus, sed ex primis & clarissimis totius Sodalitii, quos ipse Ignatius Comites & Socios delegerat. Unde præter cæteros apprime Sodalitii institutum, callebant, ejusque spiritu toti regebantur. Nam Laines successit Ignatio in Præfectura generali, & à Pio IV. una cum Alphonso Salmerone

rone

rone delectus & missus fuerat Tridentum, ut partes Pontificis tuerentur. Quod si respondeant, Franciscum Turrianum Sodalem Jesuitam, scripsisse opusculum adversus Catarinum & Campegium, pro residentia tanquam jure divino instituta; Excipies, id à Turriano factum sub Paulo III. antequam nomen dedisset Sodalitio Jesuitico, cui sese addixit Anno 1554. teste Orlandino lib. XIV. numero 86. Sed hic præstat ipsum Hervetum audire de iis loquentem, quæ ipse vidit & audivit in Tridentino Concilio. *At vos, vos appello, Alphonse Salmeron & Jacobe Laines, quos hactenus judicavi esse optimos & vere pios; vos, inquam, appello & rogo, quidnam vos movit, ut hanc tueremini sententiam & miseris Episcopis, qui ad suum currunt exitium frigidam ut ajunt, suffunderetis? Si Sodalitatis Jesu vere estis Sodales, quod nobis verbo ostenditis, reipsa ostendite? Iesu estis Sodales? Iesu gloriam quærite. Estne aliquid quod ad Iesu Christi gloriam magis faciat, quam si quos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, ii præsentes, ut par est rite suo fungantur munere? Potestisne esse Iesu Sodales & Iesu gloriam non quærere? Non quæritis autem si impedimento estis, quo minus ejus ministri ei serviant: non serviunt autem si suis relictis Ecclesiis suæ ambitioni serviant & libidini. Desinite, in vulgus jactare, vos auctoritatem tueri summi Pontificis. Quid agant, quid moliantur, quid sibi proponant, qui residentiam ju-*

ris non esse divini asserunt, est jam lippis notum & tonsoribus: Pontificis Iesu Christi Vicarii auctoritatem vos dicitis defendere, & intereadum ipsum Iesum cujus est Vicarius ignominia, probro, & dedecore, quod in vobis est, afficitis. Annon, hoc est, Iesum ignominia & dedecore afficere, eos qui ejus cultui sunt dedicati ab ejus cultu abstrahere, & ad otium, ambitionem & libidinem traducere? Vultisne Vicarii majorem esse auctoritatem, quam ejus cujus vices gerit? Vult Christus honorem sibi ab Episcopis haberi, sacrificia offerri, populum & verbo & exemplo pasci: Hoc si nolit Vicarius, & neglecto Domino cujus vicem gerit, in se omnem honorem transferri velit, se coli, se observari, se frequenti Episcoporum comitatu ornari, isne se pro Vicario an potius, pro domino gerere censendus erit. Desinite, inquam, auctoritatem jactare summi pontificis: &c. Quid vos movit, ut male sibi & Ecclesiæ consulenti Pontifici hac in re gratificaremini, &c. Ubi dignum observatione occurrit, Gentianum loqui & argumentari ad hominem: quoniam Salmeron ei retulerat, neque Pontificem, neque Episcopos, qui partes Papæ tuebantur unquam passuros, ut residentia juris esse divini declararetur: quia hoc Pontificiæ auctoritati derogaret, vide supra notabile secundum: & hinc disce propositum esse Jesuitis, *speciem pietatis ad proprium & privatum commodum sui Sodalitii abstrahere: & quæstum existimare pietatem*, ut ait Apostolus I. ad Tim. VI. Unde Gentianus

per-

perhibet, *se illos hactenus optimos & vere pios existimasse* : ubi τὸ *hactenus*, quandam correctionem significat : propter Christi oraculum, *ab operibus eorum cognoscetis eos : nam arbor bona bonum fructum facit*. Quocirca illos exhortatur ad resipiscentiam: *Optarem quidem ut si & ipsa vobis persuadeat veritas, & vestra dictet conscientia, juris esse divini Residentiam, divum imitati Augustinum, caneritis palinodiam, &c.* Proculdubio, gesta Jesuitarum in Concilio Tridentino sub Pio IV. Episcoporum Galliæ, & præsertim Eustachii Ballaji Parisiensis Episcopi & Provisoris Sorbonici, qui Tridentino Concilio interfuerat, animos ita exacerbarant, (cum illos Tridenti totos ad nutum Curiæ Romanæ pendere cernerent,) ut eam ob causam Anno 1564. cum pedem in Academia Parisiensi primum figere voluerunt, ab memoratis Episcopis qui Tridentino Concilio interfuerant, atque omnibus ordinibus & Communitatibus urbis Parisiensis acriter oppugnati fuerint in Parlamento, Jam ergo Orlandinus scriptor Historiæ Ignatii Lojolæ, nobis operam Jacobi Laines Præfecti Societatis in Tridentino Concilio venditare cesset, quasi ab illo tota Synodus penderet. lib. undecimo. Quandoquidem hæc Gentiani Epistola totum hoc mysterium nobis propalat : quod multo amplius liqueret si acta integra, non solos haberemus Canones Tridentinos; intereadum meminerit Orlan-

dinus Sodalis Jesuita, domesticum Jesuitarum Testimonium in propria causa illis nocere, prodesse autem nullo modo posse, quanti autem rerum suarum admiratores & prædicatores sint, nullus qui Jesuitas novit, ignorat.

Decimo sexto, recte observat Hervetus frustra Testimoniis scripturæ, atque aliis argumentis contra Hæreticos certari, nisi Ecclesia & præsertim Curia Romana emendetur: quoniam depravati mores Ecclesiasticorum sunt tanquam pabulum, atque alimentum quo Hæræses & Schismata hodierna procreantur, foventur, & saginantur. Quamobrem omnes Christiani Principes, atque inter alios Ferdinandus Imperator, sicut etiam Carolus IX. Franciæ Rex, cum omnibus aliis Catholicis Principibus ardenter flagitabant, à Papa & Tridentinis Patribus, ut relictis disputationibus & relictis de doctrina, quæ à Catholicis minime in dubium revocabantur, totum tempus reparandis moribus Ecclesiasticorum potissimum impenderetur: quando notissimum esset depravatos mores, causam certissimam præbuisse Schismati. Sed hoc nunquam à Curia Romana impetrare poterunt: quæ quidem pro vera reformatione personatam & fucatam nobis exhibuit.

Decimo septimo, pro Epilogo Hervetus demonstrat nisi Ecclesia & Curia Romana reformetur, certissimum urbi impendere exitium:

tium:

tium: quod primum ex Sybillinis verſibus docet, deinde ex verbis Apocalypſeos Cap. XVII-XVIII. *Ecce Babylon magna.* Equidem nullus eſt auctor Catholicus, qui non fateatur Cap. XVII. & XVIII. Apocalypſeos agi de Roma. Bellarminus lib. ſecundo de Romano Pontifice. Cap. II. S. Joannem vocare Babylonem, ſed hoc de Roma Ethnica intelligi perhibet: Contra Viegas & Ribera etiam Jeſuitæ, id capi de ſtatu urbis ſub Antichriſto. Verum qui ſciverit, propoſitum eſſe S. Joanni Prophetiam, ſtatus univerſalis Eccleſiæ uſque ad finem ſeculi, & præſertim ultimorum ſeculorum corruptelas, quas intuemur depingere: atque inſuper Curiam Romanam ab Eccleſia tanquam adjectum à ſubjecto & veſtem à Corpore ſecerni oportere: profecto de tota controverſia, atque intelligentia XVII. & XVIII. Capitis Apocalypſeos proclive judicabit.

Cæterum cum Galliæ Prælati viderent in Synodo Tridentina dicis tantum cauſa atque in ſolius Curiæ Romanæ ſplendorem & quæſtum reformationis capita delibari: Cardinalis Lotharingus, nomine totius Eccleſiæ Gallicanæ ſequentem declarationem ſcripto edidit, die undecimo Novembris 1563. in Seſſione vigeſima quarta Tridentini Concilii: eamque in Acta referri poſtulavit: *Cum nudius tertius meam de reformationis Articulis dicerem ſententiam, præfatus ſum etiam me valde cupere,*

ut prisca illa Ecclesiastica restitueretur disciplina: Sed cum his corruptissimis temporibus & moribus intelligam non posse ea, quibus maximo opus est, protinus adhiberi remedia: interim assentiri & probare ea quæ nunc sunt decreta: non quod ea judicem satis esse ad integram ægrotantis Reipublicæ Christianæ Curationem: sed quod sperem his prius levioribus fomentis adhibitis cum graviora medicamenta pati potuerit Ecclesia, Pontifices maximos, & maxime, SS. D. N. Pium pro sua insigni pietate & prudentia diligenter curaturum, ut ea quæ desunt implens, & efficaciora inveniens remedia in usum veteribus jam diu abolitis revocatis Canonibus, & maxime quatuor veterum illorum Conciliorum: quæ quantum fieri poterit observanda esse censeo: vel si expedire videbitur, frequentiori Oecumenicorum Conciliorum celebratione, morbum ab Ecclesia propulsans, eam suæ pristinæ restituat sanitati. Hanc autem meam mentem & sententiam, tum meo, tum omnium Galliæ Episcoporum nomine in Acta referri volo & ut id fiat à Notariis peto & postulo. Hercle Cardinalis Lotharingus mandato Regis Christianissimi sese Tridentum contulerat, ut cæteris omnibus posthabitis reformationem procuraret. Sicut notabili decimo sexto observatum est ex Herveto. Equidem nostri Theologi ob desperatam reformationem, Tridento tantopere offensi & male animati erga Curiam Romanam redierunt, ut palam & publice de Curialium fabricis querimonias fererent: atque

atque inter alios Magister Claudius Sanctius quoties de Synodo Tridentina cum familiaribus ageret, allusione facta ad solennem formulam & conclusionem Hierosolymitani Conclilii, *Visum est Spiritui Sancto & nobis*, *Actorum XV*. Gallice diceret: *O qu'il y a bien du* NOBIS *en ce Concile*. Qua voce indicabat omnia Decreta ad disciplinam & reformationem spectantia, non afflatu Spiritus Sancti, sed Curiæ Romanæ artibus fuisse condita. Quam pariter ob causam, Espensæus illam celebrem digressionem, cujus supra meminimus, Commentariis in Epistolam ad Titum, scripsit: quæ invitis librorum expurgatoribus æternum vigebit. An rogo ulla est in terris potestas quæ usum ratiocinandi hominibus interdicere, atque efficere possit, ut quod oculis vident auribus præsentes hauriunt, & maximo doloris sensu experiuntur, non videant, non audiant, & minime doleant? Tantum autem abest ut hæc librorum expurgandorum ratio à Jesuitis adinventa & propagata fini atque proposito quid instituta est serviat, cum potius vehementer noceat atque magis ac magis Jesuitarum, & Curiæ Romanæ artes ac studia suspecta reddat: quasi vero Ecclesia & Religio Catholica istis humanis versutiis propugnari deberet: Gilbertus Doctor Parisiensis in Oratione funebri Petri Danesii Vaurensis Episcopi, quam Anno 1677. habuit in æde sancti Germani à

Pratis:

Pratis: quæ Oratio edita est Parisiis à Martino juvene ad insigne Serpentis: hoc egregium Vaurensis Episcopi cum in Tridentina sederet Synodo Apophthegma enarrat Gallice: quod verbum de verbo Latine reddam. *Quidam Doctor nostræ Facultatis*, ait Genebrardus, *dum coram Patribus Tridentinis multa diceret, contra abusus & corruptelas, quæ in materia beneficiorum tam in Rota Romana quam in Curia Officiali Episcoporum committuntur, contigit, ut nescio quis, cui hæc Oratio de reformatione minus grata erat per ludibrium illis qui sibi adsidebant diceret, en Gallus cantat: quod Danesius noster audiens illum redargutorem ex tempore sic acute pupugit: utinam, inquit, hoc Gallicinio Petrus ad fletum & resipiscentiam excitetur.* Veteres Philosophi qui de moribus hominum regendis inter alia Libros de Captanda utilitate ex propriis inimicis scripserunt. Equidem grassante Lutheranismo ob corruptissimos Ecclesiasticorum mores, & Curiæ Romanæ abusus, id & Pontificem atque ejus aulæ columina ad vitæ & morum emendationem exstimulare oportuerat. Quod tantum abest ut fecerint, cum potius ex ea re confidentiores atque insolentiores evaserint: quoniam statim atque aliquis pius & Catholicus de moribus Ecclesiæ regendis mutire incipit pro Hæretico aut de Hæresi suspecto notatur: & si quid in eam lucubret, ut Espensæo contigit, ejus Libri

Libri censura inuruntur aut expurgantur. Quare viri boni studio pacis atque unionis retinendæ in Ecclesia quidvis pati & ferre coguntur: ut supra monui ex Parisiensi Cancellario, dialogo pro Actis Synodi Constantiensis: *Zelus habendæ unionis in Schismate tam desperato, fecit multa tolerari, quæ aliunde fuissent nec toleranda*, inquit. *Video quod Ecclesiæ reformatio nunquam fiet per Concilium sine præsidentia Ductoris affectati bene & prudentis simul & constantis, provideant sibi dum sciverint & potuerint membra per provincias aut regna, non quidem in multiplicatione constitutionum novellarum, hoc magis interturbat quam adjuvat: sed per exequutionem vivacem & virilem earum legum quæ jam latæ sunt abundantissime, supervacuis etiam resecatis vel omissis. Video quod in doctrina quæ fidem, quæ Religionem, quæ bonos & salubres respiciunt mores, vix invenietur in hac tempestate, rebus ut sunt manentibus, nec habito forti favore potentiæ secularis, terminatio debita vel expedita justitia.* Hæc Gersonius: quod si ea quæ Tridenti sunt actitata ut Ecclesiæ reformandæ ratio impediretur conspexisset? Proculdubio malum quadruplo & majus & periculosius est quam ab Espensæo, Herveto, aut quocumque alio Catholico explicari queat. Porro, hic Tridentinæ reformationis fuit exitus, & scopus, ut nihil ad veritatem sed in quandam speciem & pompam externam, atque ad privatum Curiæ Romanæ splendorem &

com-

commodum cuncta referrentur: Jesuitis quidem speciosum istum apparatum & Choragium suis mundanis institutis modulantibus atque in hominum animos alte influentibus: *Papam esse infallibilem; neque cuiquam licitum de suis Pastoribus quamquam de pravatissimis moribus nobilitentur, obloqui.* Ex quo accidit, ut in dies certatim innumeræ splendentes & variegatæ Ceremoniæ ad formam legis Judaicæ serviliter excogitentur. Hinc tam magnificus & pene theatralis templorum atque Altarium exterior ornatus: Sacerdotalia Ornamenta tota aurea atque argentea: Ipsis vero Sacerdotibus totis Ligneis, stipitibus, stramineis, intusque sordentibus & pauperibus fame pereuntibus, aliisque Charitatis officiis, in quibus Lex gratiæ essentialiter consistit, plane extinctis. Hinc innumeri quotidie novi ordines religionum & Cœnobiorum Roma missi: Hinc tam crebræ atque solennes Librorum Censuræ, & expurgationes: quibus artificiis populi animus magno studio pascitur, atque à sensu & cogitatione desperatæ reformationis callide avocatur: ut interea dum Curiæ Romanæ Principes & Prælati Ecclesiæ solito luxu atque delitiis abunde & secure diffluant ac perfruantur. Quæ externa & soporifera remedia qui diuturna fore putant, nam simulata & contra naturam minime durant, tantum quidem mea sententia, quantum qui omnium maxime falluntur.

VIII.

VIII. Hoc autem quia omnium appositissime Andreas Masius vir doctissimus & piissimus Cap. decimo septimo Commentariorum in Librum Josuæ expressit hic ejus sententiam adglutinabo: *Lector*, inquit, *se convertat animo cogitationeque ad præsentem nostræ Ecclesiæ conditionem longe miserrimam, & unde ad ista tanta mala hæc devenerit, quoquo se modo extricare possit consideret: Æquabili enim tenore mihi certe ista priscæ illi respondere videtur. Nam olim etiam ipsa gentibus permixta graves ab illis contumelias perferebat, quibus tamen ad pietatem mirifice stimulabatur, quod multorum Martyrum præclarissimis certaminibus est testatum. Porro simul atque ab illis liberata est, mox odiis intestinis atque dissidiis conflictari cœpit. Sed ubi ista etiam utcumque exstirpata tandem sunt sacris Conciliis: continuo se otio & luxui dedit: ex quibus turpissima ambitio est nata, extincta pietas, neglecta disciplina, ad pompam solam compositi ritus: & in summa juribus omnibus pollutis, superstitio omnium fere animos oppressit: atque imbecillitatem hominum occupavit. Quæ mala cum diutius tolerare ac pati lenissimus alioqui Pater Deus nollet, denuo nos in acerbissimam relabi discordiam passus est: eamque tam variam & multiplicem atque inauditarum opinionum insolentia tam pertinacem, ut salutaria majorum nostrorum remedia, Concilia dico, jam prorsus respuantur, &c. Quapropter, frustra meo judicio disputationes instituantur: frustra multi immanibus tormentis excarnificantur: frustra*

frustra Principes, ut Religionem quasi Dei Arcam boum, hoc est Sacerdotum petulantia nutantem, tanquam manu admoto fulciant. Ozæ exemplo, formulas sacrorum novas singuli condunt: ad quas dum Ecclesiæ res corrigere volunt, plane dissip... : & vetera Patrum instituta novis suis commentis convellunt. in solius Dei misericordia spes bona reliqua est. Hic continuis precibus est interpellandus, ut memor esse velit placabilitatis suæ. Sic enim Habacuc precabatur: & quidem ab illis maxime est implorandus, qui magis vitæ suavioris & umbratilis cupiditate, quam Sacræ Doctrinæ propagandæ amore adhuc Magistratum in Ecclesia Dei quibusvis artibus adepti, istorum malorum causas comprimis dederunt: neque etiam nunc dare desinunt, &c. Hucusque Masius, qui post Synodum Tridentinam hæc edi curavit Antverpiæ Anno 1572. quod autem de veteri Ecclesia narrat, repetes ab Eusebio Lib. octavo Historiæ Capite primo. Sacris Historiis edocemur. Judæos statim atque ex Captivitate Babylonica redierunt, omnem animi curam & corporis contentionem in Templo Hierosolymitano ædificando collocasse: atque opere perfecto, juvenes, qui Templi à Salomone constructi splendorem & majestatem nunquam viderant omnibus incessisse lætitiis: contra Antiquiores qui viderant, se totos in fletum & lacrymas effudisse: adeo quidem, ut ex isto mœrore & luctu vix ac ne vix quidem ob utriusque Templi differentiam recreari

creari possent. Certe ex Synodi Tridentinæ consideratione hoc ipsum viris piis & Catholicis hodierna die usu evenire comperimus. Qui enim florentem Ecclesiæ primitivæ statum, dum Aristocraticum regimen, Jus commune; & Disciplina Apostolica bonique mores vigerent, minus perspectum habent, & soli absolutæ Monarchiæ assuefacti sunt: ad solam Tridentini Concilii recordationem, quasi ex ejusdem receptione aurea secula esssent reditura (de sola Politia non de Doctrina hic loquor) incredibili exultant gaudio: Aliis vero secus contingit, qui cum apprime naturam regiminis Ecclesiæ à Christo instituti & ductu atque afflatu Spiritus Sancti sub octo primis universalibus Conciliis servati noscant: sibique etiam insuper sint conscii quantum à Ducentis annis laboratum sit, ut Ecclesia in Capite & in membris reformaretur: & tum demum, Synodi Tridentinæ decretis eatenus in Ecclesiæ emendatione certatum, quatenus Curiæ Romanæ majestati & commodis non Gloriæ Dei & saluti Christianorum & potissimum Ecclesiasticorum consuleretur: merito quidem formidant ne Deus in nos justissime iratus pronunciet: *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta: dico enim non me videbitis à modo donec dicatis, Benedictus qui venit in nomine Domini. Matthai XXIII.* Enimvero, nostri inemendabiles ac perditissimi mores; quando temporis ple-

nitudinem & menſuram complent in Dies, magnam profecto & expeditam faciunt acceſſionem ad illam terribilem ac juſtis nedum ſceleratis formidabilem diem Domini. Sed hic nonnullos partim obnoxios, partim ignaros mihi ſubaudire videor, objicientes ejuſmodi querelas, hæreticis occaſionem præbere, ut in ſuo errore obdureſcant, atque Eccleſiæ Paſtoribus detrahant. Contra rependo, doctorum Catholicorum monita & voces lugubres, contra depravatos mores Curialium minime cauſam ſcandali præbere, ſed propudioſum luxum, atque inemendabilem Prælatorum ambitionem; Deinde quotuſquiſque ignorat, in vitiis Eccleſiaſticorum carpendis longe diſparem eſſe rationem Catholicorum & Hæreticorum? Etenim ſicut in lege Moſaica Prophetæ, qui viam domino præparare cupiebant, vitia Hieroſolymitanæ Eccleſiæ, quam puriſſimam eſſe volebant, acerrime inſectabantur: nec tamen Charitatis vinculum laxabant: falſi autem Prophetæ relicta Hieroſolymitana Eccleſia in lucos abſcedebant: ſibique Aras in excelſis, laniata pace atque unione, extruebant.

IX. Similiter Doctores Catholici, cum ſuper omnia gloriæ Dei, in pacis & Charitatis vinculo inſervire, homineſque à vitiis abſterrere vehementer deſiderent: ſtilum quidem Cenſorium in peſtilentes ſeculi vomicas ita deſtringunt: ut multo magis in laudandis virtuti-

tutibus, quam in vitiis corripiendis ſuam operam mallent impendere, contra quam uſu evenit Hæreticis, qui tanquam ſues luto fœdiſſimo, vitiis, non ſanctimonia, & vitæ integritate Eccleſiaſticorum mirum in modum oblectantur. Atque Eccleſiæ unitatem toto animi & corporis impetu violare & diſcerpere moliuntur. Hercle quidem, ſi Prophetæ ab Eccleſiæ Hieroſolymitanæ carcinomatibus purgandis nihilo ſecius olim abſtinuerunt, ne forſan Schiſmati & idololatriæ pſeudo prophetarum opitulari crederentur. Aut etiam ne famæ & vitæ ſuæ pejus conſulerent: quidnam cauſæ eſt, ut Catholicis doctoribus & bonis ac piis viris metus injiciatur, aut ſilentium imponatur vel eorum ſcripta, de neceſſitate inſtaurandæ diſciplinæ Eccleſiaſticæ & Eccleſiaſticorum, moribus reparandis expungantur? Niſi forte cubitis & capitibus hominum peccantium quaſi molles, atque delicatos pulvillos & cervicalia apponere velimus, Ezechielis XIII. atque inſuper experientia comprobare, Eccleſiæ in melius emendandæ rationem plane impoſſibilem & deſperatam eſſe.

At vero relicta diſputatione de reformatione Eccleſiæ ad Synodi Tridentinæ Concluſionem veniamus. Nam in Editione Tridentini Concilii quam Gentianus Hervetus, etiam Gallice edi curavit ſtatim, atque Tridento rediit Anno 1564. Pariſiis per Jacobum Ma-

cæum, in monte Sancti Hilarii sub signo Pyramidis: Similiter in Antverpiensi apud viduam Martini Nutii, ad insigne Ciconiarum eodem Anno 1564. cujus editionis non semel supra memini: Cardinalis Moronus Legatus summi Pontificis, ante acclamationes Patrum, his conceptis verbis Synodum concludit: *Placuit omnibus Patribus finem huic Sacro Concilio imponi, confirmationemque à SS. Domino nostro peti*, TRIBUS DUNTAXAT EXCEPTIS, QUI COMFIRMATIONEM SE NON PETERE DIXERUNT: *Ideoque nos Apostolicæ sedis Legati, & præsidentes, eidem Sacro Concilio finem imponimus: confirmationem vero quam primum à SS. Domino nostro petemus. Vos autem Illustrissimi & Reverendissimi Patres, post gratias Deo actas ite in pace.* Hæc propria sunt verba Cardinalis Moronii, quibus immediate subjiciuntur acclamationes: *Beatissimo Pio Papæ, &c.* Hæc, inquam, ita habent in genuinis exemplaribus Gallorum & Flandrorum. Verum tamen Editio Romana, quam Manutius eodem Anno 1564. vulgavit in folio, aliter habet: quia in locum hujus formulæ, *Placuit omnibus Patribus finem huic Sacro Concilio imponi, confirmationemque à SS. Domino nostro peti*, TRIBUS DUNTAXAT EXCEPTIS, *qui confirmationem se non petere dixerunt, &c.* Hac alia subjiciantur. *Postmodum Illustrissimus & Reverendissimus Cardinalis Moronus, primus Legatus & præsidens benedicens Sanctæ Synodo dixit, post gratias Deo actas*

actas

actas Reverendissimi Patres, ite in pace. Qui responderunt, Amen. Tum postea immediate subnectuntur acclamationes, *Beatissimo Pio Papæ, &c.* Hæc. inquam, in editione Romana Manutii, ad cujus normam dehinc omnes editiones Concilii Tridentini, quibus hodie utimur factæ sunt: sicque claret contra fidem nativorum exemplarium, responsionem trium Episcoporum, qui nominatim dixerunt se non petere confirmationem Actorum Concilii à Papa expurgatam, atque expunctam fuisse. Ex quo patet, Curiæ Romanæ propositum esse omnia delere, atque supprimere acta, quæ juribus suis usurpatis adversantur: & hinc etiam fit, ut multa Apocrypha pro veris legantur etiam in antiquis Conciliis. Porro valde dolendum est, nomina trium illorum Episcoporum & cujusnam essent Nationis ignorari: certumque est illos maxime generosos, ac minime ambitiosos præmiorum, quibus Romana Curia homines allicere consuevit, atque etiam peritissimos fuisse Historiæ antiquorum Conciliorum; nunquam enim auditum sub octo primis universalibus Conciliis, ut confirmatio Actorum ab Episcopo Romano, tanquam Monarcha absoluto infallibili Ecclesiæ peteretur, ut fit hodie. Ratio est, quia Decreta Synodalia, vim & robur habent ab universali consensu & communione Sanctorum, non à comprobatione Papæ: qui quidem velut Catholicus, Symbolum

ſuum conteſſerare & ad Sanctorum Communionem more aliorum Epiſcoporũ accedere tenetur. Quamobrem Chriſtus Matthæi XVI. præſentiam ſuam non uni & ſingulari Monarchæ, ſed duntaxat Sanctorum communioni pollicetur: *Ubicumque fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum*, Quæ verba omnem ſingularitatem, quaſi infallibilem excludunt. His autem accurate ſubductis, Jacobi Naclantii Clugienſis Epiſcopi futilia Argumenta depelluntur, qui cum Synodo Tridentinæ intereſſet, ex hac generoſa atque Orthodoxa trium Epiſcoporum ſententia, captavit occaſionem ſcribendi tractatum, quem ita inſcripſit: An Decreta Actaque Generalia Concilii, exigant neceſſario confirmationem Papæ: quod opuſculum Cardinali Borromæo nuncupavit. Cardo in quem omnes Naclantii rationes vertuntur eſt; Chriſtum dixiſſe Petro, Rogavi pro te ne deficiat fides tua: & tu aliquando converſus confirma Fratres tuos, Lucæ XXII. Atque Eccleſiæ regimen eſſe abſolute Monarchicum, non Ariſtocraticum vel Oligarchicum, quæ Principia alias ſunt à me dogmatice examinata, & labefactata; hic operæ pretium eſt verba Naclantii exſcribere, unde Lector poſſit cognoſcere, quid illum impulerit ut memoratum Tractatum lucubraret: *Verum quoniam his diebus* ait: *res à quibuſdam revocatur in dubium, dum nonnulli Conciliorum Acta Decretaque Papæ, probatione, vel confirmatione non accedente auſi ſunt adſtruere validiſſima: abs re eſſe non duximus, ſi noſtrâ pro tenuitate hæc certis ſolidiſque conſtructa fuerint fundamentis. Quare hanc compendiariam enarrationem ſeu tractationem fecimus, ut valeat quis veritatem agnoſcere, &c.* Hæc ille ut inde colligi poſſit, quantum homines obnoxii certent, ut abſoluta Curiæ Romanæ Monarchia evincat.

Finis Hiſtoriæ Conciliorum Generalium.

Hæc Eccleſiæ Catholicæ ſubjecta ſunto.

Index

Index Rerum præcipuarum quæ in hoc Libro Quarto occurrunt.

A.

ACcessus Procuratorum ad urbem Romam & tradita ab Sacro Collegio eisdem responsio. 403
Acta & Decreta Pisanæ Synodi. 405. Acta Sessionis ejus septimæ. 525
Accusatio Julii II. in Concilio P. 125. & seqq.
Alexander VI. Papa veneno quod aliis paraverat ipse extinguitur. 144
Æneas Sylvius Concilium contemptim popularitatem Synodalem vocat, 104. fit Papa, 35. ejus animi dotes, ibid. ejus literæ ad Universitatem Parisiensem, ibid. ejus Epistola ad Ludovicum XII. Galliæ regem pro abrogatione Pragmaticæ. 53. De tribus Galliæ Ordinibus contemptim loquitur. 56
Appellatio Universitatis Parisiensis pro Libertate Ecclesiæ. 107 Appellatio à Papa minus debite consulto ad seipsum melius consulendum. 128
Apologia Concilii Pisani. 169
Arma carnalis Ecclesia nescit. 28
Artificium quo Cardinalis Senensis utitur adversus Imperatorem. 20

B.

BEneficia Conciliarium nemo impetret, aut acceptet. 551. Beneficiati in Concilio existentes recipiant fructus beneficiorum. 417
S. Bernhardus denegat Papæ absolutam potestatem, 24. ejus querelæ de statu Ecclesiæ. 28
Bulla plumbea in literis Synodi ordinatur. 474

C.

CAnon Constantiensis de Concilio singulis Decenniis celebrando, 53 cui Pontifex vult illudere. ibid. Canon Toletanus de gestu & moribus in Concilio. 424
Capitula publica, vota & juramenta Julii Papæ & Cardinalium in ejusdem Pontificis creatione de Generali Concilio immediatè intra sequens biennium indicendo & inchoando. 323
Caput quando suspectum est etiam suspecti sunt qui illud sequuntur. 266
Cardinalis Senensis liber de Germanorum moribus. 6. ejus Senensis sententia de Appellationibus à Papa ad Concilium. 15. Cardinales etiam particulares agere possunt pro interesse Ecclesiæ, 172. & Concilium indicere. 284. Cardinalis Ostiensis Juliani de Rovera postea Pontificis Julii II. durum ingenium. 144 Auctor est variorum Capitum authoritatem Papæ restringentium. 145. promissis

sis non stat. ibid. Cardinalium minor pars an majorem pro congregatione Concilii requirere possit. 263

Carolus VIII. Franciæ Rex ad Ecclesiæ Reformationem animum intendit, 140. ejus provocatio ad Generale Concilium. 56

Casus in quibus Papa accusari potest, 250. in quibus Concilium sine ejus auctoritate possit congregari. 282

Censuræ Papæ in eos qui decimas solvere recusant pro nullis habentur. 138

Ceremoniæ & ritus Synodi Lateranensis in speciem augustæ. 162

Clerici familiares suos ad sui defensionem armatos habere non prohibentur. 290

Concilia non tam numerum, quam Concordiam, & libertatem Patrum requirunt. 309. Concilii Pisani convocatio sub Julio II. Pontifice maximo. 335. Concilii Generalis convocatio ex parte Cardinalium. 353. Ex parte Principum. 363. Conciliorum liberorum effectus. 18. Concilium Pisanum ab Imperatore & Rege Franciæ indictum. 306. Concilium Generale in quibus casibus sit judex Pontificis. 260. Concilii Generalis & Papæ utra major sit auctoritas. 103. Concilii Pisani Patres non parum insidiarum in Laterano latere suspicantur. 209. Concilium Pisis indictum à 9. Cardinalibus sub Gregorio XII. Pontifice. 206. Concilium Constantiense finem ultimum imposuit omni iniquæ de Pontificatu & diuturnæ contentioni. 207. Concilii congregandi modus si Papa sit accusandus. 262. Concilium ad tempus Mediolanum à Pisis transfertur. 436. Concilium ex discessu Prælatorum non censetur dissolutum. 425. Concilii literis plena fides exhibeatur. 452. Concilia necessitate urgente anno celerius celebranda. 204. Concilii Pisani literæ ad Facultatem Parisiensem super libro de Potestate Papæ supra Concilium. 164. ejusdem argumenti literæ Ludovici XII. Galliarum Regis, 166. Zelo amoris & Spiritu Dei erga Papam incedit. 521. Conciliii Generalis indictio in quibus casibus ad Cardinales spectet. 276. & seqq.

Consilium Philippi Decii Icti Clariss. habitum pro Ecclesiæ auctoritate. 232.

Constantiensis Synodus pacem Ecclesiæ reddidit. 40

Constitutio Constantiensis contra invasores a Concilio. 465 Augetur pœna ad supradicta. 474. Constitutio Basileensis Concilii in qua Constantiensis Concilii Constitutio confirmatur. 319

Conventus Moguntiæ indictus ad ineundam rationem belli Turcici. 35. Conventus Aurelianensis seu Turonensis Articuli super libertate & Privilegiis Ecclesiarum Gallicanarum. 154

Copia Mandati D. Joh. Baptistæ de Theodoricis Doctori, & Francisco de Trejo Romam proficiscentibus à R. D. Cardinalibus in Insubria pro bono Ecclesiæ congregatis traditi. 400

Curia Romana absolutam Monarchiam suam stabilire studet. 311 Abominatur Concilia 18. Ei nulla fides habenda in sua causa si contra Jus Divinum Naturale & Canonicum loquatur. 33. Curiæ Parisiensis Defensio pro Libertate Gallicanæ Ecclesiæ, adversus Curiam Romanam. 64. Curialibus solemne est haurire argumenta

à

à proportione Monarchiarum temporalium 25. Curia Romana per impositionem Decimarum evacuat regnum Galliæ divitiis. 126. Decretis Synodi Basileensis & Constantiensis magna objicit incrementa. 105. Impense laborat ut antiquetur Sanctio Pragmatica. 53

D.

Decimarum impositio in Gallia fundata super falsa causa. 125
Declaratio ad pontificem non pertinere loci ad Concilium celebrandum electionem. 512
Defensio sui est juris Divini & Naturalis. 157
Decretum Sacr. Constantiensis Concilii de Ecclesiarum privilegiis & Libertate. 115. Decretum septimæ Sessionis Concilii Pisani. 530. Decreta quartæ Sessionis Mediolani habitæ. 439. Quintæ Sessionis. 454. Decreta primæ Sessionis Pisanæ Synodi. 415 Secundæ Sessionis. 424. Tertiæ Sessionis. 430
Difficultates obortæ ratione abrogandæ Pragmaticæ. 60
Disciplina Ecclesiastica collapsa. 39
Fr. Duareni literæ ad Galliæ Regis Legatum pro retinenda Pragmatica. 62

E.

Ecclesia nescit arma carnalia. 29 Ecclesia primitiva Aristocraticè gubernata fuit. 32. Ecclesiæ Reformatio à Generali Concilio petenda. 280. Ecclesiæ Spiritus obliteratione Conciliorum magis ac magis extinguitur. 221. Ecclesia Gallicana à Papa multis gravaminibus læsa & afflicta. 123. Ecclesiarum & ministrorum earum libertas & immunitas. 110. Ecclesiastici quomodo Curiales, Aulici & assentatores effecti. 22
Episcopus Concordiensis gentes militares disponit in via ad intercipiendos Patres Pisanos. 184. Episcopi Italiæ ordinarie Curiam Romanam sectantur. 309
Epistola Ludovici XII. Galliarum Regis ad Pontificem de abrogatione Pragmaticæ. 58
Exaltatio grandis illegitime natorum. 54
Examen Argumentorum Cardinalis Senensis quibus usus est in libro de Moribus Germanorum. 9

F.

Forma Appellationis Franciæ Regis ad Generale Concilium 37

G.

Gratiæ expectativæ. 22

I.

Jesuitæ per æquivocationem fictè loquuntur. 158
Imperator & Galliarum Rex Societatem ineunt pro reformanda Ecclesia. 160. Imperator & Rex Galliarum Procuratores ad Pisanum Concilium constituunt. 348. Imperatoris Maximiliani Edictum super Concilio Pisano. 337. Imperator electus, & Rex Francorum, sub protectione Concilii recipiuntur. 519
Instrumentum Comparitionis Rev. Patrum in Civitate Pisarum,

in quo fundamenta & rationes indictionis Pisani Concilii summarie recitantur. 384. Instrumentum Procurationis & commissionis, datæ à Rev. Cardinalibus Pisani Concilii, 386.
Iniquitas quando dolo evitatur non inconvenit. 124.
Johannes XXIII. propter crimina notoria & Benedictus XIII Pontifices depositi. 187. à Concilio Constantiensi dissimulato habitu fugit. 202.
Julii II. Papæ subscriptio, votum & juramentum super Capitulis à Cardinalibus ante ejus Creationem unanimiter factis, 334. Hic fuit auctor, suasor & dux bellorum. 305. Galliæ Regem contra Venetos inflammat. 150. ejus artes contra Regem. 151. Procuratorem Ducis Sabaudiæ equuleo torquet. 152. Rogatur ut à consiliis belli abstineat, 157. In gravissimo etiam morbo nil præter arma cogitavit. 163.
Juramentum & votum factum à Cardinalibus super habendo Concilio. 331. Juramenta eorum irritantur qui ad Concilium non venire jurarunt. 449.
Jus Appellandi à Pontifice semper usitatum à primis Ecclesiæ temporibus. 33.

L.

Legatus Bononiæ creatur. 475. Legati Pontificii Regnum Galliæ immensis pecuniis exhauriunt. 106.
Litteræ Bononiensis legationis, 475. Literæ Apostolicæ Papæ Eugenii IV. quibus confirmatur sacrum Basileense Concilium ab initio usque ad Sessionem XVI. inclusive & deinceps. 319. Litteræ Pii II. ad scholam Coloniensem. 97.
Ludovicus XII Galliarum Rex armat se contra Papam. 159. cur & quomodo. 161. & seqq. ejus Epistolæ quibus indictio approbitur & acceptatur. 374. gratificatur Papæ ob spem recuperandi Ducatus sui Mediolanensis. 135. Victoriæ suæ contra Papam occasione non utitur. 163.
Lycurgus Thraciæ Rex vites omnes extirpandas censet. 19.

M.

Mala insecuta ex quo Pontifices temporalium rerum curam susceperunt. 30.
Maximiliani Rom. Imp. Epistolæ, quibus prælibata Generalis Concilii indictio recipitur & probatur. 370.
Modus procedendi in Pisano Concilio per Deputationes, Congregationes & Sessiones. 498.
Monitio Universitatis Parisiensis de Decimis Pontifici non solvendis. 134.
Moræ purgatio non admittitur, ubi jus alteri quæsitum est. 134.

O.

Oecumenici Concilii materia & objectum. 414.

P.

Papa solitus in eos sævire qui voluntati ejus repugnant. 299. utrum semper moram suam purgare possit. 296. ejus potestas in temporalibus. 28. quando ei non obediendum. 300. Concilio-

rum Generalium decretis obedire tenetur. 431. an facultatem habeat corrigendi, interpretandi & abrogandi Sanctione Generalium Conciliorum. 17. si aliquid juravit & vovit an efficaciter obligetur 254. offertur facultas eligendi communem locum pro Concilio. 241. an possit accusari si incorrigibili sit in crimine quo Religio Christiana scandalum patiatur. 235. Papa & Christiani Principes ad bella intermittenda monentur. 447.
Patres Pisani offerunt Pontifici omnem obedientiam & reverentiam. 300. formam & rationem Patrum Basileensium sibi æmulandam censent. 226. Pontifici Censuras, pœnas, &c. irritas proclamant. 223, 225.
Philippi Decii Sermo pro justificatione Concilii Pisani. 277. ob odium in quod apud Romanam Curiam inciderat in Galliam exulatum abit. 302.
Pisanum Concilium quadrupli lege constare. 462. Pisani Concilii distrubutio post Missam. 492. ejus indictio & congregatio confirmantur. 506. Concilii ad tempus translatio legitima fuisse declaratur. 511. ejus responsio data Rever. Episcop. Alexandrino Nuncio. 391. ejus monitio ad Papam ut intra 24 dies revocet attentata. 516. ejus sigillum. 428. Sessio anticipatur ex causis urgentibus. 429. ejus Epistola ad Imperatorem. 22. ejus processus contro Papam. 519. & seqq. ejus Præsidens qui. 419. petit res Bononiensium & Ferrariensium absque Christiani sanguinis effusione tractari. 444.
Pius II. Pontifex postquam adeptus esset à Rege Galliarum quæ petisset, promissis non stat. 79. Bullam retractationi omnium Actorum Basileensis Synodi à se scriptorum evulgat. 79. pugnantia loquitur. 101.
Pœna quorundam qui Privilegia Ecclesiarum violarunt. 113.
Pontifex ut effectum Concilii impediret indicit illud in loco non libero & minime tuto. 306. tentat Cæsarem à Regis Franciæ amicitia dissociare. 508. Pontifices omnia cum Oligarchico Consilio decernunt. 34. Pontificis promissa facta Galliæ Regi ut abrogaret Pragmaticam. 57. Pontifices decimas super Clerum imponunt quæsito colore belli Turcici. 115.
Potestas Ecclesiastica ubi resideat. 102. duo continet. 102.
Prælari admittuntur qui post inchoatum Concilium ad illud venerunt. 448.
Prætextu Monitorii Papæ, domestici & familiares Patrum Concilii non discedant absque licentia dominorum suorum. 252.
Pragmatica num damnosa, & detestabilis 22. num tollat Sedis Apostolicæ eminentiam, &c. 23. quid contineat. ibid.
Proclamatio Julii secundi. 489
Progressus Pisani Concilii. 312

INDEX RERUM

R.

RAtiones Patrum Pisanorum cur Roma ipsis suspecta sit. 211. 215. & seqq.

Regis Galliarum Edictum super Concilio Pisano, 340. ejus Mandatum ad Parlamentum Delphinatus super Privilegiis & libertate Ecclesiarum Gallicanarum defendendis. 153. Reges tempore heroico omnium possessionum Domini præterquam earum quæ ad Sacerdotes spectabant. 111.

Regiminis spiritualis & potestatis secularis longe diversa natura. 33. Regimen Ecclesiasticum Christus mixtum esse voluit ex Monarchia & Aristocratia & quare? 179.

Romanum Concilium per Papam convocatum declaratur nullum. 511.

S.

SAlvis Conductibus Papæ quantum credendum sit. 211.

Schedula accusationis contumaciæ Julii Papæ secundi. 486.

Schedula accusationis contra Julium secundum. 526.

Scholæ Sorbonicæ Responsum ad quæstionem, quidnam de Censuris Papalibus esset tenendum. 136.

Sessia Octava Concilii Pisani. 532.

Summa Pragmaticæ Sanctionis Beati Lodovici. 119.

Synodus Generalis auctoritatem habet immediate à Christo. 431.

T.

THeologorum Parisiensium Responsa Regi data super Reformatione Ecclesiæ. 140.

FINIS.

